



Stetka 133.

Frankenius, Fr.

in der zweiten Auflage

60 Kl


L. VII. 86.

Spruch in Freiburg

OC  
726







B. FRIDERICI SPANHEMII F.

Theolog. nuper Doctoris & Professoris  
Leidensis longè celeberrimi

Præcipuæ Controversiæ

Cum

ARMINIANIS

ac

Remonstrantibus Hodieñnis,  
*Lectionibus ac Disputationibus*  
publicis repetitæ

P R A E S I D E

SAMUELE STRIMESIO,

S. S. Th. Doct. & Profess. in Eccles.

& Universitate Viadrina,

Cujus etiam Annotationes ac  
Stricturæ in dictas Controversias ad cal-  
cēm accessere, vastum cumprimis, quod AR-  
MINIANAM inter & REFORMATAM, de Gratia Dei U-  
niversali, DOCTRINAM intercedit Discriben-  
dilicidè exponentes.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,


APUD JOHANNEM VÖLCKER.

I 7 0 3.

ARMINIANIS



I. 7. 0. 3.



PRÆCIPUÆ CONTROVERSLÆ

CUM

# ARMINIANIS,

AC

REMONSTRANTIBUS

HODIERNIS.

*Protheoria brevis Historica.*

**P**rimordia infelici Schismati fuisse in *Que præ-*  
ipso Bataviæ ocello, non diu postea *cifferint*  
quam inferri in has oras spargique *Schisma.*  
clanculum cœpisset Socinianum virus, mis-  
sishunc in finem ad Belgas *Christophoro O-*  
*storodo, Goslariensi Saxone, & Andréa Vido-*  
*vio Polono, disseminaturis scripta periculoso-*  
*rum MSS. illa quidem, deferenda ad*  
*Magistratum, sub finem Seculi superioris.*  
Ac quamvis prudentiâ & pietate Celsissi-  
morum Ordinum, *prævio* Judicio Theolo-  
gorum Leydensium, Fr. Junii, Luca Trel-  
catii, & Fr. Gomari, cum exacti Belgio Au-  
tores, tūm traditæ flammis fuissent sedu-  
trices Chartæ, An. 1598. hinc tamen, (ut ac-  
cidit) occasio ingenii ad res novas pro-  
pensis nata, si non in Capite de *Trinitate*,

A

aut

2 ELENCHUS

aut *Satisfactione*, saltem in Capitibus aliis, permittendi sibi liberius disquirendi, de hinc innovandi, licentiam. Nec enim infimum locum inter Socini scripta & placita sibi vendicabant, quæ ille recoxit ex Pelagii Disciplina, in Articulis de *Prædestinatione*, *Libero Arbitrio*, *Justificatione coram Deo* (cujus causa sit fides, seu obedientia mandatorum) & annexis: Edita Disputatione in Caput vii. Epist. ad Romanos, An. 1583. sub nomine Prosperi Dysidæi, & paulo antè, Anno 1578. editis, cum *Prefatione* suâ, Sebastiani Castalionis *Dialogis*, de *Prædestinatione*, *Electione*, *Lib. Arbitrio*, *Fide*, sub nomine Felicis Turpionis Urbevetani, vertendis in Belgicum Idioma, & Goudanâ in Urbe recudendis. Obstetricati tunc in Belgio fûere, editione ac translatione in Belgicum sermonem, *Theodorus Kemp*, *Theodorus Koornhert*, ac si qui alii. Hinc passim Leydæ, Dordraci, Goudæ, Hornæ, & apud Frisios (quæ de re Belgarum Ecclesiastici Annales) surgere turbones publicæ tranquillitatis, qui de *Prædestinatione*, de *Peccato Originis*, aliisque vel ad *Doctrinam* spectantibus, vel ad *Disciplinam*, moverent litigia.

*Ter. Ar-  
minius.*

Inter eos verò qui damnatas pridem in *Pelagio*, *Cælestio*, dein in *Massiliensibus*, tūm in *Adversariis Godeschalci* Seculo ix. (de quo fuse nostra *Introd. Historica Tomo II.*) Con-

Controversias de Prædestinatione & annexis Capitibus, retractandas ac subtilitis excutiendas, certè examinandas ab ovo, censuerunt, fuit *Jacobus Arminius*, Veterquinus Hollandus. Vir cætera multæ doctrinæ, mansuetique ingenii, excitandi peregrinatione Helveticâ Genevensi, Italica ab An. 1582. Sed acuminis nimii, liberiorisque judicij, oris, calami, obtentu *indagande veritatis*. Unde is ad Uytenbogardum, An. 1597. *Demersa est veritas, etiam Theologia,* in puto profundo, &c. *Ultinam Deus veritatis illam aliquando, ad animi mei tranquillitatem, invenire concedat!* Docent quæ jam Professionem Leydensem præcesserant; Concio- nes Amstelodamenses in Caput vii. & ix. ad Romanos; Arminii sententia, nec illo Cap. de homine Regenito, nec isto de Prædestinatione agi, quo de arguento Bezam Genevæ docentem audiverat; hinc dissidia & accusationes in eum motæ; collationes cum Franc. Junio habitæ; injectiones tandem vocationi obices, quum eodem Junio è vivis sublato An. 1602. sufficiendus decerneretur. Quod factum tamen est, promovente præ ceteris Joh. Uytenbogardo, An. 1603. Amstelodamensi tum statione ab Arminio relicta. Unde mox cum Francisco Gomaro, Collegâ suo, Viro Clatiss. certamina; hinc querelæ variz; tan-

dem & illæ utriusque Synodi Hollandicæ ;  
quin Articuli xxxi. excerpti, quibus è teodo-  
gias postularetur, editâ ad eos *Apologia &*  
*Responsum Arminii.* Vivere desit Anno  
1609. Octobri mense , laudandus P. Bertio  
Oratione parentalî, & relicturus Uyten-  
bogardis, Borriis, Grevinchoviis, Corvinis,  
Grotiis, Vorstiis, Episcopiis, aliisque ejus  
Societatis Viris, ingens sui desiderium.

*Concepti  
Schismatis  
natales,  
incremen-  
tum.*

Quamvis à Jacobo Arminio deinceps  
Arminianorum nomen, ac mali initia, ipsum  
tamen Schisma, malique incrementa, ut fie-  
ri assuevit, mox alias post Arminium Au-  
ctores habuerunt. Nempe Anno 1610. ab  
Arminii episcopis, & qui multa in Confes-  
sione Belgica, ac Cathechesi Palatinâ, revi-  
deri ac recenseri vellent, oblata est Præpor-  
tent. Hollandiæ Ordinibus Remonstran-  
tia, quam vocârunt , seu Libellus supplex,  
cujus hæc præcipue capita, 1. Ut recognoscer-  
etur Confessio & Catechesis, additis rei cau-  
sis, & petitionis apologia. 2. In specie ut  
sua sibi sententia permitteretur, circa Arti-  
culos v. ibidem expressos. 3. Ut interea, do-  
nec liber de hisce Conventus haberetur , sub  
Illustr. Ordinum ægedpias, Fratres se invi-  
cem in dilectione & pace ferrent ac tolerarent,  
concessâ prophetandi libertate, innovandi  
que in doctrinæ tûm ventilatis Capitibus.  
Hinc opposita à sex delegatis Pastoribus,

Hagam

Hagam deputatis, Anno 1611. nomine reliquorum qui cum Calvino, Bezâ, & Orthodoxis sentirent, *Contra Remonstrantia* fuit; Et indè nomina *Remonstrantium*, & *Contra-Remonstrantium*. Mox *Collatio Hagiensis* excepit, super Articulis v. eodem Anno 1611. inter utriusque partis *ὑπερασπιστας* Theologos, sed malum exasperatura.

Accesserunt obsfirmando Schismati, au-  
gendiisque disfidiis, ex Theologis quidem, *menta duo*  
*duo præ cæteris instrumenta*, par Virorum *principia*.  
cæterà inclytum: I. *Conradus Vorstius*, Co-  
loniensis, natus Anno 1569. ex Steinfurten-  
si Professore designatus Arminio Successor,  
An. 1610. Sed tandem professione Leyden-  
si prohibendus, urgente Jacobo Anglorum  
Rege, ob sua de *Deo & Attributis* iteratò vul-  
gata, cum *Exegeti*, & ob suspicionem *Soci-*  
*nianismi*. Vocatus scilicet Vorstius fuerat,  
indubie Socino satis exploratus, An. 1600.  
à Fratribus Polonis, Lublini, (ubi & Smal-  
cius docuit) in Synodo congregatis, ad  
Gymnasium Luclavianum, in Provinciâ  
Cracoviensi, sed Steinfurti hæsurus. Hinc  
*Socinianismi* idem accusatus jam An. 1598. ab  
Heidelbergensibus Theologis; qui etiam  
ad *amicos scriberet*, se ex Socinianorum Li-  
bris *demùm didicisse Θεολογεῖν*, ut ibidem Da-  
vid Paræus Vorstio exprobrat, *Epiſt. xxvii.*  
inter Ecclesiasticas Amstelodamenses.

A 3

Mor-

Mortuus idem est An. 1622. Tonningæ, Slevicensis Holsatiæ Emporio, variâ jaëtatus fortunâ. 2. *Simon Episcopius*, Amstelodamensis, qui in Collatione Hagiensi publica de derat ingenii sui, acuminis, doctrinæ specimina, Arminioque familiaris fuerat; tandem præficiendus Cathedræ Leydenfi, favore Nobiliss. Curatorum, An. 1612. Postquam nempè Franc. Gomarus valedixisset illi stationi, Collegâ Episcopii Johanne Polyandro, mitissimi ingenii Viro. Ab ipsis præcipue, Vorstio & Episcopio, vulnus in majus diductum, conjungendis cum iis animorum studiorumque consensione *Uytenbogardo*, *Bertio*, *Venatore*, *Grevinckhovio*, *Goulartio*, *Poppio*, *Corvino*, aliis, in vulgus Batavum notis. Et *Uytenbogardus* quidem magna præ cetèris auctoritate Vir fuit, pari facundiâ, Hagiensis Pastor, promotor Arminii, Episcopii, Vorstii : Cujus magna pro causâ Remonstrant. certamina, & scripta plurima quorum Catalogus, ad calcem *Historiæ*, quam scripsit, *Ecclesiastice*; infensissimus idem Hommio, Lubberto, Triglandio, Leydensibus, &c.

*Synodus  
Dordrac.*

Nec Schismati remedium in Synodo Dordracenâ fuit, An. 1618. & 1619. quantumvis legitimum in modum coactâ, ex Viris toto penè Orbe Reformato hunc in finem accitî, etiam ex Angliâ submisfis, sed animo præsen-

præsentibus Gallis, qui corpore esse non potuerunt : Adeò ut ad *Oecumenicas* veteres, seu *Generales* Synodos, proximè accesserit. Cujus Synodi Historia, & eorum quæ Synodum præcesserunt, ex actis ipsis, & vulgatis ejus temporis Documentis, ( nec Remonstrantium illis ) speciatim ex Jac. Triglandii, Leydensis Theologi meritissimi, Hist. Ecclesiastica, tutissimè repetatur. Sedebat autem fixum immotumque penes Remonstrantes, non acquiescere Synodi legitimo ordinatoque judicio, nec sententiam retractare ; moras interposituros, & ad *Oecumenicam* provocaturos Synodum. Undè in partes ab iis itum, & Synodus Synodo, Acta actis opposita, ut docent *Acta Synodalia Remonstrantium*, Harderwici impressa, An. 1620. & eorundem vulgatae *Epiſtola*, Ecclesiastica & Theologica.

Postquam secessum amarunt ita Remonstrantes, & Dordracenorum judicium firmatum fuit, à summa Potestate, obligans *tis. & in* faltem in foro *externo*, & Ecclesiastico, unio- *Herefim* *nis servandæ causâ* (nec aliter in foro *inter-* *prolapse.*  
*no & Conscientie*, quam ob suum cum Scripturis consensum) in segreges Cœtus à Pastoribus Remonstantibus itum. Sed verò edita per Episcopium *Confessione Fidei*, hinc *Apologiâ* ejusdem, seu Examine Censuræ Leydensum, adoptatisque passim Socini,

Crellii, Vorstii, dogmatibus, saltem pigmento quodam incrustatis (ut infrâ liquet ex *Controversiarum* cum Remonstr. classe alterâ) Schisma in Hæresim tandem abiturum fuit. Hinc de *Socinismi criminis* sibi impacto, non semel Episcopius, quum adhuc Leydæ versaretur, antè Synodus Dordracenam. Nec verentur Sociniani suis adscribere *Conradum Vorstium*, per quem Socini & Sequacum scripta [sunt] vulgata, cujus etiam Confessionem Fidei, *de Deo & Filii ejus*, manu moribundâ exaratum, laudat Bibliotheca Antitrinitariorum. Tum & *Simonem Episcopium*, & hujus successorem *Stephanum Curcellæum*, suis vindicant Socini nepotes, illum an. 1643. hunc anno 1659. sublatos. ac docuit experientia, & confirmat hodièque, Remonstrantes suas in Scholas & Ecclesias eos quoque admittere, qui à Reformatis segreges, aut per Disciplinæ leges expulsi, in Anti-Trinitaria castra, vel Pelagiana, aut cæteroquin adversa Orthodoxæ & Catholicæ fidei, etiam scriptis suis secesserunt. Ita Socinianorum scripta varia, per eos emissâ in publicam lumen fuisse constat. Atque hinc *Novatorum, Vorstianorum, Sociniano-Remonstrantium*, appellaciones exortæ, notiore Belgis nostris Historiâ, quam ut reponi pluribus mereatur.

Hodie

Hodie verò modus quandoque nullus *De Hodin-*  
*est. in afferendo Socinismo, seu indirecte, earnis qui-*  
*laudatis commendatisque scriptis; seu et-*  
*iam directe, in probatis Dogmatibus, & Scri-*  
*pturis S. Vet. & Novi Test. (obtentu sensu*  
*literalis) in Anti-Trinitariorum ac Rationa-*  
*listarum sensum inflexis. Ut etiam Hugo-*  
*nis Grotii, viri alijs incomparabilis, insi-*  
*gnis quandoque præ his fuisse modestia vi-*  
*deatur. Absit tamen, ut his implicemus, si*  
*qui in causâ de S. Trinitate, de verâ Deita-*  
*te Christi, Filiatione verâ, vero in terris Sa-*  
*cerdotio, vero λύτρω ab eo persoluto, &*  
*Morte nostri loco suscepta, (Satisfactionis a-*  
*deò re, si non nomine) Socinismi notam in-*  
*genue deprecantur. Quos inter censeri*  
*quoque voluit Arn. Poelenburgius, in suis*  
*contrâ Clariss. Hoornbekium, & apparuit*  
*nuper Philippus à Limburch, Vir Clariss.*  
*Quamvis in causâ justificationis nostræ per*  
*fidem, & imputatæ Christi iustitiae, nonnulla*  
*ex Socino videri possint mutuati, sed aliâ à*  
*Socino mente; Reformatorum verius sen-*  
*tentiâ, quasi fidem separant ab operibus fidei,*  
*vel justitiam Christi imputatam, ab inhören-*  
*te, in sensum alienum tortâ.*

Contro-  
versiarum  
prima  
Classis.

Cæterum varix cum *Remonstrantibus Con-*  
*troversiarum Classes, vel gradus, ac ferè qua-*  
*tor constitui possunt. In primâ sunt ex quæ*  
*ex Arminio profluxerunt, ad famosos quin-*

*que Articulos revocatae, quos intrà nonnulli hodièque Remonstrantes, ferè consistunt: In cateris suum, nobiscum consensum, quoad magis essentialia, haud àgrè professi ac contestati; plurimi in Civili ordine, alii in quibus nec eruditionem, nec humantatem desideres, & hos strietè Arminianos dixeris. Atque de horum tolerantia, & admissione ad Communionem Anti-Remonstrantium, diu litigatum est.*

*Alterā  
Classis.*

In alterā Classe sunt ex Controversiæ quas in primis *Conradus Vorstius* vel de suo, vel ex Socino invexit, & mox suas fecere Remonstrantes, ob coniuncta studia, & communem quandam sortem: Protestato licet Vorstio (sed dum spes illi fuit redintegranda pacis) suum in tribus Capitibus *Fundamentis*, puta de S. Trinitate, Deitate Christi Θεανθρώπως, & veritate Satisfactionis, cum Orthodoxis consensum, quibus propriâ manu aliquando subscripsit. Et Vorstii damnatos à Palatinis, Anglis, Belgis, errores, tūm & illos Episcopii, Bertii, Venatoris, aliorumque sigillatim recensuit, secundū capita Confessionis Belgicæ Festus Hommius vir Clariss. An. 1618. ac notarunt Paræus, Piscator, Lubbertus, Voetius, Leydenses jam Theologi, &c.

*Tertiā  
Classis.*

In tertīa Classe sunt illæ porrò quæ natæ ex Confessione Remonstrantium, edita Anno

An. 1622. hujusque *Apologiae*, Censuræ Leydensium oppositâ, An. 1629. Ab Episcopio quidem scriptâ, communi autem Fratrum nomine vulgaritâ, incrustaturâ passim errores Socinianos, detrahente sic larvam cum suis Episcopio. Quanquam sanè Socini hunc errorem aliquando *Apologia* deprecari videatur, fol. 58. nempe quasi Christus nihil meritus sit humano generi, nec satisficerit suo modo Patri; quâ fide, videbunt alii. Harum autem Controversiarum elenchum Professores Leydenses in *Censurâ*, Voetius adversus *Catechism. Remonstrant.* Vedelius initio *Arcanorum*, Triglandius ad calcem *Antapologiae*, Hoornbekius in *Summâ Controvers. Rhetorfortius in Examine Arminianismi*, aliique exhibent ex nostratisbus Theologis, Cloppenburgius, Heidanus, Maresius, Esseniuss, Rysenius, &c. notis Scriptis.

In quartâ denique Classe sunt ex specia-  
lius Controversiæ, quæ suprà reliquas na-  
scuntur passim ex scriptis variis, cum Simo-  
nis Episcopii, tum novissimè, Stephani  
Curcellæi, maximè verò ex utriusque proli-  
xis *Institutionibus Christianæ Religionis*, &  
ex postremi Dissertationibus; Quales sunt,  
de Trinitate seu tribus in Deo Essentiis, &  
*Vocibus* hoc in Mysterio usurpati; *De Pec-  
cato Originis*, nullo ipsi nec quoad imputa-  
tionem,

*Quarta  
Classis.*

tionem, nec' quoad corruptionem; *De non necessariâ Cognitione Christi*, & absque eâ salute; *De Justificatione propter fidem, & opera*; *De moralitate præcepti Sabbathici*, etiam quoad diem septimum, &c. Et his Controversiis nullus ferè finis est, si excutiantur horum virorum singula, Didactica, Exegetica, Elenctica, & quæ quotidie eorum ex Scholiâ in lucem prodeunt, pro eâ quæ utuntur, aut quæ indulgetur, *Libertate prophetandi*. Maximè etiam, si assertorum haud obscura Consecaria, quandoque Medii termini ab ipsis adhibiti suis adstruendis, in totidem Controversias abeant; Cujus rei specimen dedit post Samuelem Rhetorforium, Nicol. Vedelium, & Belgas Theologos Clarissimos, Rev. Rysenius, in *Synopsi Theol. Remonstrant.*

*Institutum  
hujus Elen-  
chii.*

Nos verò ab impingendis quas respuunt Consequentiis alieni, Controversias eò usque non extendimus, quin contrahimus verius; principibus insistendo, pro insti-  
tuti nostri ratione. Et geminum quidem exhibemus Controversiarum cum Remonstrantibus ordinem. In primo apparent Articuli quinque, cum *Arminianis* strictè di-  
ctis controversi, de quibus in Collatione, Hagienſi, & in Synodo Dordracenâ dispu-  
tatum est, defensis posteā in specie à J. Arn.  
Corvino contrà Molinæum, ab Arnoldo  
Poelen-

Poelenburgio, & ejus familiae aliis, ac fuisse  
nuper Philippo à Limburch, Viro Erudito,  
in *Theologia Christiana*. Nec defuit in parti-  
bus Remonstrantium Vir Reverendus, i-  
demque eruditus, qui olim suis ad me lite-  
ris, in solo de *Prædestinatione* Capite (prout  
infra ad *Controv. i. explicant*) & quæ isti Ca-  
piti annexa, dissentire sese à nobis profite-  
retur. Quâ parte Christianæ tolerantiae,  
procul odiis, anathematis, & quicquid chari-  
tati inimicum, salvis tamen Formulis U-  
nionis, locus esse potest. In altero ordine  
apparent, graviora nonnulla Capita, quæ  
cum *Sociniano - Remonstrantibus* controversa  
sunt, & antesignanis eorum approbata:  
Seu jam ex *Apologia*, seu ex aliis Episcopii,  
Vorstii, ac nuperrime Steph. Curcellæi scri-  
ptis, qui omnium instar esse possunt. Nec  
enim novis quotidie portentis, quæ partu-  
riunt Novatorum præla, ut in Liberâ Re-  
publicâ fieri afolet, finis ullus erit. Dùm  
parum hodie nonnulli memores saluberri-  
mi (apud *Byzantinum Historicum*) moni-  
ti; sentire & loqui privatim de dogmatibus, ut  
quisque vult tolerabile; temperandum tamen  
ab iis Controversis vel Dogmatibus vulgandis,  
aut introducendis eis oīcov Kupis in Ecclesiam  
Dei, quorum satius & μεμνησθε non meminisse,  
ob infelicia ἐπόμητα. Vide G. Pachymeris  
*Historiam*, Lib. vi. Tomo i. ubi de J. Vecco.

ARTI-

## ARTICULI QUINTQUE

Controversi.

I. **A**N Decretum æternum Prædestinatio-  
*De causa & obiecto*  
 nis (uti post Paulum , sed & Augu-  
 stinum, & ὁ μοῦνός pridem ac nuper, do-  
 cent Orthodoxi ) sit *absolutum*, non profe-  
 stò à conditionibus vel mediis , *Joh. III, 16.*  
*Rom. VIII, 29, 30. Eph. I, 4. 2. Thess. II, 13.*  
 2. *Tim. II, 19. &c.* sed tamen à *causâ antecé-  
 dente* vel *impulsu*, extra Dei beneplacitum  
 & gratuitam misericordiam ? Idemque sit  
*speciale*, & *definitum* quorundam ac certo-  
 rum hominum , quos prædestinaverit alios  
 ad *vitam*, 2. *Tim. II, 19. Rom. IX, 13. 18. Joh. X.*  
 26. 27. *XIII, 18. XVII, 6. 12.* nec sine intuitu  
 Christi Mediat. & fidei in eum , requisitæ  
 simul in electis , quod Consilium Gratiae ,  
 vel Decretum *Electionis* dici solet ; Alios ve-  
 rò , liberè præteritos , prædestinaverit ad  
*mortem*, consequenter ex dictis locis , & ex  
*Matt. VII, 23. Rom. IX, 13. 18. 22. XI, 7, 8. Jud.*  
 4. hosque similiter non sine intuitu pec-  
 catorum , ut causæ suæ damnationis ; quod  
 Consilium iræ , vel Reprobationis Decre-  
 tum , dici solet ?

An verò sit illud Decretum , i. *Generale &*  
*indefinitum*, de servandis credituris & perse-  
 vera-

veraturis in fide, damnandis verò incredu-  
lis; Præscriptis hoc modo *conditionibus salu-*  
*tis*, at singularibus *personis*, quæ crederent,  
aut non crederent, haud dum attentis : Et  
hæc sit Dei voluntas antecedens ? 2. Sít idem  
Decretum *conditionatum à priori*; seu inni-  
xum cùm *Mediationi Christi*, tanquam divi-  
næ hujus volitionis fundamento; tūm præ-  
visæ hominum *fidei vel incredulitati*, pro li-  
bera determinatione arbitrii, ut causæ προ-  
καταρπτικῆ & conditione antecedenti, pro-  
pter quam aut hos eligit, aut istos reprobat ?  
Mediā adeò intercedente *Dei præscientiâ*  
credentium vel non credentium, antequam  
evadat hoc decretum *speciale & definitum*, se-  
cundum *voluntatem consequentem*, ut lo-  
quuntur ? *Affirm. prius Orthod. Post Armi-*  
*niani.*

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη, benè multa. Imputa-  
ta Orthodoxis, (ut olim Augustino) Hære-  
sis *Prædestinationiana*, hinc *decreterum à conditio-*  
*nibus absolutum*, & *necessitas inevitabilitatis*  
peccandi, quæ vim quandam infert. Ho-  
rum nulla ex vero assērta Theologis. Sie  
supponitur, Deum *voluisse*, voluntate æter-  
ni beneplaciti, *omnes & singulos homines*  
salvos fieri; aut Fœdus Gratia, cuius spon-  
sor Christus, esse *absolutè Universale* cui sub-  
ordinetur *Prædestinationis Decretum*, tan-  
quam *merè Evangelicum*; *Esse Decretum,*  
quod

quod respiciat tantum credentes, seu credituros, vel positivè incredulos, id est, conditio-  
nes Fœderis, salutis, non certas personas  
salvandas, ut *Controv. Ant.-Socin.* xxvi. I-  
tem, dari præficientiam in Deo vel prævisio-  
nem fidei & perseverantia in his, incredu-  
litatis in illis, anteriorem Decreto de dandâ  
his gratiâ, his pro libertate negandi, *Matth.*  
*xii. xiii.* Item, confusa ab Adversar. media  
Prædestinationis exequendæ, qualia sunt  
Christi Redemptio, gratia, fides, respi-  
scentia, perseverantia, &c. cum causis vel  
fundamentis ejus decernendæ. Hinc recan-  
tata & novissimis etiam (quod miramur)  
contumelia, sententiam Reformatorum, ri-  
tè intellectam & traditam, omnem Religionem,  
omnemque pietatem, sed & studium precum,  
extinguere; Quam pietatem, & quæ ad hanc  
spectant, scil. studium precum, bonorum ope-  
rum, per nos jaçtent alii, nemo sane for-  
tius unquam ursit Theologô verè Refor-  
matô.

Mittimus obvia Scripturæ loca ad prævi-  
sionem fidei, malè detorta V. gr. quibus Dei  
æterna quorundam πρόγνωσις (prædilectio)  
traditur, quam confundunt cum nudâ προ-  
ειδήσις; Vel, sine fide neminem Deo placere,  
*Hebr. xi. 6.* quod Paulus de fide non sanè  
prævisit, sed aëtuali in suis electis, datâ iis  
ex gratia, qua consequenter Deo placent, ut  
danda

danda fuit iis ex antecedente decreto, ex benevolo Dei amore, *Act. xiiii, 48. Rom. v. 8. 10. Galat. i, 15. 1. Job. i v. 20. &c.* Item, dum ex conditione consequente, requisita in electis, v. gr. *abscedere ab iniquitate 2. Timoth. 11, 19. &c.* faciunt conditionem antecedentem, requisitam in *eligendis*. Sic sensus *Cap. ix. Epist. ad Romanos quoad nexum, & scopum*, torquendus alioquam ad *υποθεσην* occupatam à Paulo, ex doctrinâ *Cap. viii. versib. 29. 30. & 37, 38.* Scil. rejectionem Iudaorum *κατὰ σαρπα*, quam deplorat Apostolus, & Gentilium vocationem, non obstat nec veritari promissionum Dei, *Rom. ix. 6. &c.* nec justitia illius, *vers. 14...* Ut qui liberrimus sit bonorum suorum dispensator, hos eligens, alios præteriens, horum misertus, alios indurans, *vers. 15. &c.* Quo de Capite ix. nos ex professo aliás.

Cæterum fatentur hodie cordatiiores quidam, *Prædestinationem* ad utrumque decretum referri, gratiæ & iræ, salutis & damnationis: Esse factam eandem *antè secula*; Causam impulsivam *extra* Deum nullam esse, sed *merum Dei beneplacitum*; Etiam *salutem & damnationem* hominum esse *rata*, *fixa*, id est, reverâ inevitabilem, sed secundum *præscientiam* tantum. Hinc & fraterna *tolerantia* Reformati per istos oblatas & expositas, ut in fundamento concordibus,

dibus. Vide & Controv. cum Luth. IV. v.  
VI. & ad eas observata.

*II.* *An Christus Mediator*, primò quidem ex gratuito decreto & intentione *Dei Patris*, datus sit *omnibus & singulis* hominibus redi-  
mendis suā morte, & sacrificio expiatorio,  
quoad impetrationem reconciliationis  
cum Deo & salutis, *Job. 111. 16. &c.* Ità ut  
*hujus Redemptionis interventu*, omnes &  
*singuli in Fœdus Gratia* sint divinitus coo-  
r*tati* *De-* ptati, sublato reatu Peccati & Mortis æter-  
næ, sive acquisitum jus Deo Patri homi-  
nes, absque l*æ*sione suæ Justitiæ, salvandi?  
Deinde etiam, an ex ipsâ *Filiū morientis & sa-*  
*tisfacientis intentione*, subierit ille mor-  
tem atrocissimam Crucis *pro omnibus & sin-*  
*gulis hominibus*, nemine excepto, æquali-  
ter & indifferenter, ex locis *Ez. LIII. 6. Job.*  
*III. 16. 2. Cor. V. 19. 1. Tim. 11. 6. Hebr. 11. 9.*  
*I. Job. II. 2.* Nempe quoad *impetrationem*  
*gratia*, & *acquisitionem* *beneficiorum* *saluta-*  
*rium*, sed sub *conditione* *præstandæ fidei*,  
*hinc applicatione* eorundem faciendâ à sin-  
gulis per fidei *præstationem*, & admis-  
sionem illius *Gratia*, ultroneâ scil. determi-  
natione Liberi arbitrii?

An verò decreta sit, æterno & gratuito  
decreto, salutis cùm *impetratio* tūm *appa-*  
*lio*, & utraque à Christo satisfacente con-  
junctim intenta, iis omnibus & solis qui  
sunt

## CONTROV. CUM ARMIN.

19

sunt electi κατὰ πρόγνωσιν, 1. Pet. I, 2.  
 Christi oves, Populus Ecclesia, Amici, Corpus,  
 Dei Filii, notis locis Matth. I, Job. x. xi. xv.  
 Act. xx. Eph. v. Tit. II. Hebr. II. IO. II. &c. id-  
 que secundum speciale; definitum, ac gra-  
 tuitum decretum Electionis, de quo di-  
 cendum modò est? *Affirm.* priora Remonstr.  
*Negant* post. i. *Contra* Orthod.

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη sunt: Ex gr. Voluntas  
 illa antecedens Dei omnes & singulos salvan-  
 di, contraria tot Scripturæ locis, Deum alios  
 amasse, elegisse, fecisse *vasa Misericordia*, &c.  
 omnibusque Oeconomiis gratuitæ Fæderis,  
 scil. innumeris nec destinati (nisi sub con-  
 ditione ab iis præstari nesciâ) nec propositi  
 unquam, nec cogniti, nec applicati, si re-  
 petimus inde ab Adamo, Noacho, Abraha-  
 mo, Mose, & Evangelio prædicari cœpto:  
 Sic supposita per hypothesim Remonstran-  
 tum, amplificatio Gratiae Divinae, & Crucis  
*Christi* gloria, ita Poelenburgius; Beneficio  
 jam verè illusorio & nullo, innumeris sci-  
 licet nec offerendo, nec conferendo, ne  
 ipsâ conditione quidem seu fide in Christum,  
 quæ innumeris nec revelanda fuit, nec  
 danda, ne quidem quoad vires sufficientes, ut  
 fassi de Gentilibus istorum quidam (licet  
 gratis supponant alii) minus certè quoad  
 gratiam efficacem, Matth. XI. 25, 28. XIII. II. 13.  
 Quorum Locorum Vindicias, contra Arn.

B 2

Poelen-

Poelenburgium, habes in *Vindiciis nostris*  
*Bibl. P. II. Loco vi. & xv.* Sic notum  $\psi\bar{e}v\bar{d}\bar{\sigma}$ ,  
vocabula *Omnis, Mundum, totum Mundum,*,  
necessariò designare omnes omnino homi-  
nes, quotquot sunt aut fuerunt in Mundo;  
Etiam qui jam damnati, reprobi, relictii in  
viis suis, sine Deo, sine Christo, extorres fœ-  
derum, promisionum, harentes in fundo  
corruptionis, ex quo emergere non potue-  
runt, sine gratia vocante, regenerante, ju-  
stificante, sanctificante, eademque iis non  
datâ, imò negatâ, ex dictis, Sed usum vo-  
cum, de *Hominibus* indefinite, oppositè ad  
Angelos; vel de omnibus, id est, *quibusvis*;  
vel de electis ex *Mundo*, ex *toto Mundo*, op-  
positè ad *Judæos* solos; aut de *omnibus scil.*  
*credentibus*, electis, servandis, *ayiazo-*  
*pervis*, adducendis ad gloriam, pro subjecta  
materiâ, ut sexcenties, fusè nos alias in  
Examine Locorum, & collatione Scriptu-  
ræ.. Quæ etiam Crucis gloria est, ubi sepa-  
ratur effectus, nempe *Applicatio salutis*, ab  
ejus causâ *Impetrazione* per Christum; Aut  
ubi fingitur *impetratio* salutis, sub *conditione*  
ab innumeris nec exigendâ, nec præstari  
natâ, sine dono fidei, *Eph. II. 8. Phil. I. 29.*  
*II. 13. &c.*

**III.** *An per Lapsum hominis, perque-*  
*De Viribus* peccatum Originis, omnes homines ita sint  
*Lib. Arbitrii* *in se corrupti mente, voluntate, affectibus,*  
*truiiustatu* *ita*

itâ viribus vel potentia ad bonum salutare Peccati,  
 destituti, omnique eâ habituali gratiâ, quæ deque cau-  
 Primo homini fuerat concreata; ut quamvis sâ Conver-  
 vis retineant aliquod dictamen rectâ ratio- sionis ad  
 nis, & libertatem voluntatis à necessitate bru- Deum, &  
 râ & naturali, quæ est προάρπεσις etiam à ne- ejus ante-  
 cessitate coactionis & violentâ, quod est τὸ ἐκά- uatâ  
 στον, non tamen liberi sint à servitute peccati, Θέσιν  
 & à propensione naturali quâ ligati ad malū uat' ἀp-  
 tantum, ex vindicatis alibi Locis, Gen. v i. σιν.

VIII. Jobi XIV. Ps. XL. Iob. III. 3. 6. Rom. V. 12.  
 Eph. II. 3. 5. &c.? Ut etiam quamvis residuum sit in iis aliquod naturæ lumen circâ no-  
 titias naturales Dei & sui, honesti ac turpis,  
 residuæ etiam vires aliquæ circâ bonum, morale & civile, vel etiam externè Legale,  
 Phil. III. 6. seu circâ officia externæ disciplinæ; nullæ tamen in iis vel notitiæ fint, vel vires naturales; circâ bonum salutare & spirituale, revelatum in Evangelio, aut circâ ea quæ conversionem & fidem, vel antecedunt, vel constituunt, Matth. VII. 18. Rom.  
 VIII. 1. Cor. 11. 14. 2. Cor. 11. 5. &c.? Solâ adeò Spiritus S. gratiâ, præveniente hominem peccatorem, seu dante huic facultatem & actum & posse & velle, Iob. VI. 44. XV.  
 5. I. Cor. IV. 7. Eph. II. 8. Phil. I. 29. II. 13. &c.  
 Præveniendo nempè hominis arbitrium, mentes supernaturaliter illuminando, voluntates flectendo, affectus domando, &

corda aperiendo, modō libertati hominis  
convenienti, etiam ex locis, Ier. xxxi. Ezech.  
xxxvi. Ioh. vi. Act. xvii. 14. &c.

An verō sit in omnibus & singulis hominibus *communis* quādam & *sufficiens* Gratia, (de quā tamen *sufficientia* parciū sāiores quidam Remonstrant.) consistens in lumine naturæ, & donis post lapsum hominis relictis? 1. Quā possint sēmetipſos ad gratiam maiorem disponere, & elicere actus *conversionis antecedentes*, quales sunt dolor offensis Numinis, humilitas, desiderium Gratiae, preces, propositum vitæ in melius commutandæ? 2. Quā fit ut ad ipsam conversionem hominis nihil amplius desideretur, quām vocatio *congrua*, & moralis quādam ac lenis suasio, hortationibus & promissionibus salutaribus; atque hujusmodi Gratia quā excitet ad ipsum *actum*, fidei, & conversionis, eliciendum ab ipso homine, pro viribus ab omnibus acceptis: Quō demum sensu Gratia conversionis fiat *efficax*, quando voluntas *sicut* ad eam amplexandam determinat? Affirmant prius Orthod. posterius Remonstr.

ΠΡΩΤΟΝ Λέυδος, negata originalis (qualem diximus) *Corruptio*, quamvis homines censeant nasci *minus puros*, quam fuit Status integritatis; falsis tamen aliis & in iis Cl. à Limburch. esse istos *voluntate quā ligata*

ligatâ affuetudine peccandi ut non possit ex seipsâ  
se in libertatem afferere, &c. Adeoque hypo-  
thesis, solam requiri vocationem externam,  
seu revelationem mediorum ad salutem,,  
cum docilitate quâdam, quæ sit à Naturâ in  
plurimis, vel à Gratia communi, ut loquun-  
tur; confusa sic Naturâ cum Gratia, & u-  
triusque donis, habitibus. πρῶτον Φεῦδος  
etiam Gratia universalis objectiva, de quâ  
ad præcedentes Controv. undè & afferenda  
fuit Gratia intra hominem subjectiva, omni-  
bus communis eaque sufficiens, quâ poscit ob-  
jectivam intelligere, & se excitare ad que-  
rendum Deum; Quamvis recte Vir Clariss.  
Gratiam illam communem, ex se sufficientem  
neutram esse, sine illa Gratia quæ ut indebi-  
ta est, itâ à Deo pro arbitrio dispensatur. Vi-  
de Contr. seq. & xxx. Anti-Anabapt. XI. Anti-  
Socin. XXXIII. LII.

IV. An Gratia Dei, non tantum ad posse  
converti, quæ sit omnibus sufficienter &  
insuperabiliter concessa; non tantum in-  
ternæ illuminationis, quâ mens non possit  
non videre sibi ut in Naturâ, sic in Dei Ver-  
bo monstrata; non tantum externæ pulsationis,  
fusionis ad credendum, quos pulsus  
mens non possit non sentire, fatentibus  
Adversariis; Sed cumprimis illa Gratia  
quæ est internæ Conversionis alias prima præ-  
veniens, excitans, vivificans, regenerans, creans

IV.  
De modo  
nostra  
Confessio-  
nis, deque  
Gratia  
converten-  
tis effica-  
ciâ, nata  
Deo u. h.  
naturâ  
xat ap-  
g. w.

novum hominem, ex notis Scripturæ locis,  
 & operans ipsum conversionis actum; An  
 (inquam) illa Gratia sit posita in flexione  
 ipsâ cordis, seu inclinatione voluntatis & affe-  
 ctuum, ultimò insuperabili, vulgo dicunt  
 (sed voce invidiosa, & insidiata libertati ho-  
 minis, ac coactionem quandam inferente) ir-  
 resistibili? Sitque adeò Gratia Conversionis  
 ejus potentiae & efficacie hyperphysicæ, in  
 convertendis, ( id est, in vocatis κατὰ πρό-  
 θεσιν, Rom. VIII. 28. 30. κατὰ πρόγνωσιν  
 1. Pet. 1. 1. 2. vocatione non tantum externâ  
 & invitante, sed & internâ & trahente, ex an-  
 tè dictis) ut quamvis Caro inimica, primò  
 & quantum in se est, resistat oblate in Ev-  
 angelio Gratiae, resistentiâ aliquali & incho-  
 atâ, tamén non posse resistere ultimò, re-  
 sistentiâ finali & prævalente, Gratiae alteri in-  
 tus collatæ? Ut sit itâ Conversio in talibus  
 subiectis infallibilis & necessaria ratione even-  
 tus, nisi incerta & irrita sint Dei Consilia;  
 nec tamen sit illa coacta & violenta; Gra-  
 tiâ scilicet Dei frangente ut resistendi vo-  
 luntatem, homine ad Deum itâ trahentem  
 currente Jer. xxxi. 18. Thren. v. 21. Cant. 1. 8.  
 & exclamante ut est Jerem. xx. 7. ?

An verò omnis illa Gratiae convertentis  
 operatio, sit non nisi moralis, suadendo, pro-  
 ponendo, invitando, impedimenta remo-  
 vendo, promissis alliciendo, adeoque ul-  
 timò

timò *superabilis* vel resistibilis? Ut positis omnibus operationibus divinæ Gratia, sit adhuc in potestate Liberi arbitrii semet vel convertere, vel non convertere, Gratiam oblatam vel admittere, vel respuere, *concurrere*, cum illâ, vel efficaciam illius frangere & finaliter impedire? *Affirm.* prius Orthod. *Poſterius* Remonstr.

**N P Ω T A** Φεύδη sunt: Supposita (ut ad præced. *Contr.*) Gratia *sufficiens* in omni homine, quâ possit obedire Deo ad fidem vocanti; hinc requisita ad ejus *efficaciam* vocatio tantum *congrua*, quam vocant, seu *moralis* quædam & opportuna *suasio*, per Verbum Evangelii, quæ trahat in consensum *congruè* scil. *dispositos*: Sic supposita *externa* vocatio per Evangelium, re ipsâ non esse distincta ab *internâ* per Spiritum S.; Quas tamen Scriptura distinguit. 1. Ex diverso *subjecto* vocante, undè vocatio interna est Dei trahentis; altera Ministrorum vocantium, *Joh.* vi. 37. &c. 2. Ex *principio* diverso, undè vocatio *interna* fluit, *Act.* xiii. 48. *Rom.* viii. 28. 3. Ex diverso *hujus objecto*, *Matth.* xi. 25. xiii. 11. *Job.* x. xv. xvii. 1. *Job.* ii. 19. 4. Ex diverso modo *vocationis*, quum interna sit non suadens tantum, sed persuadens; non invitans tantum sed trahens; non extus imperans tantum, sed intus operans; non offerens tantum

tantum gratiam, sed conferens; nec ostendens modò viam, sed in eamducens, &c. ex locis antè allegatis. 5. Ex diverso effectu, qui in vocatione internâ est insitio Christo Capiti, unio cum Christo, fides sincera, *Job. vi. 37. 45. Att. XIII. 48. Tit. I. 1. 1. Job. II. 19. &c.* 6. Ex diversis adjunctis, quum vocatio interna sit absoluta, efficax, propria electorum. 7. Ex diverso fine, qui in vocatione internâ est vocatorum conver-sio, adoptio, justificatio, sanctificatio, *Rom. VIII. 29. 30. Epb. I. 5. I. Pet. I. 2. &c. & salus electorum, I. Thess. v. 9. &c.* Dùm vocationis externæ, quoad incredulos, fines varii, respectu Dei, Ministrorum, & illorum qui vocantur, ut prolixè Theologi. Sic *Job. v. 34.* non notatur sufficientia vocationis externæ, sed nexus qui est inter doctrinam Christi, ac media ab eo proposita, & inter salutem.

Addere inter πρῶτα Φεύδη, undè paratragœdiant, confundi resistentiam quæ fit ad vocationem externam, externa media, *Psal. LXXXI. 14. Esai. v. 4. Matth. XXIII. 37. &c. Spiritu S.* ità vocante per Prophetas, *Actor. VII. 51.* cùm eā quâ resistitur vocationi internæ, & Gratiæ efficaci. Afficta etiam nobis irresistibilitas quædam, per modum vis factæ libertati, coactiva illa, non verius persuasiva; hinc istorum assertum, nos vocem declinare, rem vero statuere: Planè ut

ut in causâ peccati, affingunt nobis necessitatem *inevitabilitatis*, quæ coactionem importat, & locum habet in iis quæ hominem circumstant. Vide statum Controv. & infrâ de *Gratiâ immed.* cum Pajon. & Contr. VIIII. cum *Luther.* Adde *irresistibili-*  
*tatem* interioris Gratiae, in statu peccati, et iam adstruere Jansenii discipulos.

V. An verè sancti, justi, regeniti, id est, ele- v.  
eti nata πρόθεσιν, vel nata πρόγνωσιν, re- De neces-  
dempti per Christum, efficaciter vocati, & fariā Per-  
gratia cum Justificantis tūm Regenerantis fidelium &  
immortali semine donati, 1. Pet. I. 23. quin electorum;  
& Christi Intercess. ac potenti virtute cu- Vel de pos-  
stoditi ad salutem, 1. Pet. I. 5. deque suâ ali- sibilitateo-  
quando salute, internâ certitudine, per- rundem A.  
suasi per arrhabonem Spir. Equidem ta- nata  
les in gravissima peccata, (excepto illo Θέσιν καὶ  
quod est ad mortem, & placide regnante 1. Job. nat' ap-  
III. 9.) prolabi possint, dum impeccabili- σιν.  
tas solius Christi fuit, 2. Cor. v. 21. 1. Job. IIII.  
5. Idemque cùm externo hostium impetu,  
tūm internâ carnis infirmitate deficere ad  
*tempus*, & excidere aliquamdiu Gratia, quo-  
ad sensum justificationis, & exercitium san-  
ctificationis; vel Davidis exemplo, pec-  
cantis etiam deliberatō consiliō, quod lar-  
gimur: Imò possint in se ipsis considerati,  
& in suis viribus, planè deficere, undē ista  
Luc. XXII. 31. 32. Phil. II. 12. 1. Pet. v. 8. &c.  
Tamen

Tamen ob illa quæ diximus principia Per severantia, & quatenus ex Deo nati sunt, i. Job. III. 9. nunquam possint totaliter & finaliter excidere vel statu Justificationis, vel habitu Gratia regenerantis, vel acquisitione Solutis; neque actu unquam excidant, seu non extent similis apostasie, verè Regenitorum & Fidelium, exempla?

An vero, quanquam Deus non desit auxilio suæ Gratiae se invocantibus, in gravitatem, tamen verè sancti, justi, fideles, justitiæ internâ & Evangelicâ, etiam positis quæ diximus fundamentis, possint excidere, suâ infidelitate vel inconstantia, cum actu tum habitu ipso Gratiae; seu totius liter ad finem usque deficere, ac ultimo damnari? Ut etiam sàpè actu ita deficiant, frequentibus apostasie Sanctorum exemplis.

**Affirm.** prius Orthod. posteriorius. Remonstr.  
**ΠΡΩΤΑ** Ψεύδη pluribus ostensa, ad Controv. Anti - Socinian. LXI. quæ ibi vide Scilicet dissimulata fundamenta Perseverantia, cum externa illa, qualia sunt gratuitæ Fœderis Gratiae promissiones, sub V. & N. T. Electio Dei immutabilis; Christi efficax Mors & Intercessio; Dei suos custodiens infinita virtus, ac potentia; Christi erga suos sollicitudo & cura, &c. obviis auctoritatis alibi locis: Tum fundamenta Persever. interna, ex naturâ fidei, Unionis cum Christo,

Christo, Gratiæ Divinæ, donorum Spiritus  
S. &c. Adde falsam Hypothesim, *Fidem*  
 $\pi\tau\delta\sigma\eta\pi\sigma\tau\delta$  habere *requisita* omnia salvifi-  
cæ fidei; quâ de re nos prolixissimè contrâ  
Arn. Poelenburgium, in *Vind. Bibl.* L. II.  
Loco XVIII. ad *Mattb.* XIII. 19. & seq. Ad-  
de  $\pi\tau\delta\eta$ , Perseverantiam esse effe-  
ctum *Liberi* & instabilis *Arbitrii*; Pugnare  
etiam certitudinem *Perseverantiae*, cum ejus-  
dem necessariis *mediis*; aut ista per eam  
excludi, ut sunt Dei hortationes, promissio-  
nes, minæ, preces, sancta salutis sollicitu-  
do, &c. Ad hæc *ignoratio elenchi*, in ex-  
emplis omnibus allegatis, pro *apostasiâ* San-  
ctorum; quos supponunt tales esse, de  
quibus in *statu* Controversiæ. De locis  
*Hebr.* vi. x. diximus nonnihil pag. 221. & fusè  
aliquando Vindiciis nostris ad Loca N. T.  
selecta. Similiter supposita *Salomonis* fina-  
lis *impunitia*, tot nominibus Script. re-  
pugnans: Locus 2. *Pet.* II. 18. 19. &c. agit  
de animabus  $\alpha\sigma\eta\pi\kappa\tau\sigma\tau\delta$ , vers. 14. & de fugâ  
flagitorum quoad professionem, vel appa-  
rentiam externam, ex nexus, post *agnitionem*  
veritatis Evangelicæ, qualis est  $\tau\omega\eta\varphi\omega-$   
 $\tau\eta\vartheta\epsilon\tau\omega\eta$ , & servi illius gravius puniendi,  
*Luc.* XI. 47. sed satis hic indicasse summa-  
tim  $\tau\alpha\pi\omega\tau\alpha\vartheta\eta$ . Ac consentiunt o-  
mnino Remonstr. *Perseverantiam* esse possi-  
bilem homini Regenito, virtute Dei & Gratiæ  
Divinæ,

Divinæ, quam virtutem Fidelis sanè ex se non habet: Et eo nomine etiam nos certam dicimus, oppositè ad finalem lapsum. Vide & Controv. *Anri-Luth.* ix.

## CONTROVERSIÆ POSTERIORES CUM REMONSTRANT. Latiūs appellatis.

### *De Principiis falsis.*

I. **A**N certitudo fidei quā persuademur de Divinitate Scripturarum, (non *De Certitudine fidei*) jam fide historicā tantum, sed radicatā & dei circa salvificā) nitatur sola Traditione eaque constantissimā, seu testimonio successivo, & fide universalī omnium temporum, tam in Judaicā, quam in Christiana Ecclesia? Minime etiam nitatur, cum Notis Divinitatis, ipsis illis Voluminibus impressis, ut argumento externo, ac motivo præcipuo; tūm in primis interno testimonio Spiritus S. ut efficaciter persuasivo, esse verē illud Verbū Dei, *i. Thess. 11. 9. Ioh. vii. 17.* esse τὸν αὐτοῦ θεόν, *i. Joh. v. 6.* Et an hæc persuasio Spiritus

ritus illius διδάσκοντ<sup>Θ</sup>, φάτιζοντ<sup>Θ</sup>, μαρτυρῶντ<sup>Θ</sup>, φανερῶντ<sup>Θ</sup> etiam conscientiis nostris, ἀποκαλύψαντ<sup>Θ</sup> ἀνίγοντ<sup>Θ</sup> τὰς καρδίας σφραγίζοντ<sup>Θ</sup>, βεβαιῶντ<sup>Θ</sup>, gignentis πληροφορίαν πίστεως, &c. obviis Script. locis, an ea (inquam) sit modò *imaginaria* persuasio, à Judæo aut Mahummedano facile in Christianum retorquenda, pariter jactaturis, *Spiritum S. sibi testari Libros istos*, puta Novi Test. non esse Divinos? Affirmant Episc. &c. Contrà Orthod.

ΠΡΩΤΑ Φεύδη sunt: 1. Aut non esse Scripturas S. in omnibus θεοπνεύσεσ, ut *Contr. Anti-Soc. 11.* aut non habere easdem certos characteres sive *Divinitatis*, alibi satis assertos, & ab ipso Bellarmino. 2. *Fidem salvificam* non esse ab illuminatione & operatione *Spiritus S.* minus historicam fidem esse à communi saltem Gratia; 3. Nos testimonio illo interno *Spiritus S.* uti tanquam arguento quō alii persuademus eam *Divinitatem Scripturæ S.*, quod falsissimum. Sed de hac operatione *Spiritus S.* immediatā, plura mox ad *Contr. quæ nuper à Pajonistis. mota.*

II. An ad intelligentiam veri & genuini sensus Scripturæ S. in veritatibus supernaturalibus, quæ πνευματικῶς Διερίνεται, i. Cor. 2. 14. eandemque practicam, cum afficien- tia interna cordis, de qua totiens David, De principiis affencia circa Veritates in Scriptura nebelata Psalm. 145.

*Psalm cxix. cum πληροφορία σωστεως, Col. ii. 2. seu cum vero voluntatis affensu, nihil opus sit supernaturali lumine, & gratia Spiritus S. ? Sed sola Ratio eaque recta sufficiat, cum probitate & docilitate conjuncta ? Ita quidem, ut is demum sit clarus Scripturæ sensus, quem omnes qui sanâ ratione utuntur, clare ac distinctè percipiunt; Nec teneatur quisquam admittere ut verum sensum, nisi qui est rectæ rationi consentaneus, & cujusque conscientie seu judicio attemperatus; quod judicium rationis sit unicuique regula & norma interpretationis ? Affirmant Apol. Episc. Curc. &c. Negant Orthod.*

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη eadem cum Socinianis, notata ad Contr. Antic. Soc. i. & iv. Adde observata inferius, in Controv. cum Pseudo-Philosophis, ad Hypothesim de Philosophia Scripturæ Interpretæ. Quò redi.

### De Scripturâ S.

III. An Scriptores Sacri non quidem in De fallibili gravioribus, sed tamen in rebus minutulis, litate, de- vel in circumstantiis historicis, seu lapsu me- que lapsi- moriae, seu ignorantia, aut humana fragili- bus Scripto- rum. Sæ- tate errare potuerint, vel quandoque erraver- erit de facto ? Affirm. Episc. &c. Negant Orth. Coincidit Controversia cum Superiore An- ti-Socin. ii.

ΠΡΩΤΑ

ΠΡΩΤΑ Λεύδη videtis ad dictam *Controv.* Anti-Socinian. II. p. 148. 149. Hic modò consensum cum Socinianis attendimus; nec ἐντοφανῆ Scripturarum hujus Examinis sunt.

## De Religione, ejusque Capitibus in genere.

De *Capitibus Necessariis seu Fundamentalibus* oppidò paucis, iisque planis, & non controversis; deque *Syncretismo* inter omnes Christianorum sectas ineundo; sentiunt idem Episcopius, Curcellæus, & sui, cum Socinianis, in horum *Controv.* v. vi. vii. Vide easdem, & πρῶτα Λεύδη singularum, supra, à pag. 151. Ac de *Capitibus Fidei Fundamentalibus*, speciales extant Disputationes nostræ Leydenses, colligendæ cum aliis in Syntagma.

IV. An detur *Religio quædam Naturalis*, IV.  
quæ secundum dictamen Conscientiarum, & *De Reli-*  
*lumen rectæ Rationis vita justæ sancteque glione Na-*  
*instituatur, quæque fit sufficiens, ut homo turali, Co-*  
*non modò non posit prætexere justam ex- gnitione*  
*cusationem Rom. 1. 20, sed etiam ut salvare pos-*  
*Christi, &*  
*fit? Et an in omni ævo & Gente tales fue-*  
*trum,*  
*citra cognitionem Christi Mediatoris, licet*  
C nom

non absque respectu Christi apud Deum, & *Redemptionis* universalis per ipsum factæ, vel facienda? Ut etiam hæc sit illa *fides* veterum Patriarcharum, Abelis, Sethi, Enochi, Noachi, aliorum, *Hebr.* xi. 4. &c. quæ secundum rectæ Rationis præscriptum, citra Divinam revelationem, Deum coluerunt, sacrificia obtulerunt, pietati operam dede-  
runt, ac Deo etiam placuerunt, cum spe cer-  
tâ remunerationis? *Affirm.* Episc. Curc. &c.  
*Negant.* Orthod. & alii Remonstr.

**ΠΡΩΤΑ** Ψεύδη sunt: Supposita integritas *Rationis*, in homine naturali, aut sufficientia *Legis naturæ*, quæ potuerit ex se Deum salutariter colere; Vide *Controv.* cum *Anabapt.* x. cum *Socin.* xxx. &c. Sic falsò ne-  
gata *Revelatio* respectu primorum Patriar-  
charum, facta jam *Gen.* 111. 15. & deinceps πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *Hebr.* i. 1. Ne-  
gata etiam promissio de *Christo*, ejusque Be-  
neficiis, in V. T. quæ de re & πρῶτοις Ψεύδεσθαι  
Socinianor. suprà *Controv.* *Anti-Socin.*  
xxx 14. Dissimulata quoque *fides* primo-  
rum Patriarcharum, *Hebr.* xi. quæ non po-  
tuit nisi Verbo Dei, *promissione*, hinc τὸ  
ἀπογόρων, &c. vel ex fidei naturâ & defi-  
nitione, *vers.* 1. Etiam ex allatis exemplis  
Abelis, fidei justi *vers.* 4. Enochi, fidei Deo placen-  
tis, *vers.* 5. hinc Noachi, Abrahami, Josephi,  
Mosis, &c. Adde πρῶτον Ψεύδος, *Sacrificia*  
aut

aut non à Deo instituta , aut ex se fuisse  
*ιδαῖνα expiatoria* peccatorum , contrà  
 quām visum Contr. *Anti-Socin.* XXXV. XLIV.  
 XLV. Falsum etiam , ex descripto quando-  
 que *Hebr. xi.* objecto fidei *generaliori* , vers.  
 3. 6. &c. ( quale est omne *Dei Verbum* , omnis  
 Dei promissio , Voluntas , Opera Beneficia ,  
 seu præterita , seu præsentia , seu futura )  
 hinc negari Paulo Objectum *specialius* ; Qua-  
 le est Dei gratia , misericordia , in promissio  
 semine , Christo , Gal. III. 16. qui fidei o-  
 mnis ἡ τελειωτής , Hebr. XII. 2. In  
 quo solo μισθιστορίᾳ Hebr. XI. 6. scil. ex  
 gratiâ & sensu *Evangelico* , Rom. IV. 4. eaque  
 in vita futurâ , ut ibidem Paulus *Heb.* XI. 5. 10.  
 16. 26. &c. Per quem solum etiam est acce-  
 ssus ad Deum fide , & precibus , Hebr. XI. 6.  
 cum *Hebr.* IV. 12. *Job.* XIV. 6. Rom. V. 2. & in  
 quo uno salus , Act. IV. 12. XV. II. &c.

*Scopus* , tueri Justificationem per ope-  
 ra , etiam quæ sunt Legis naturæ ; Negare  
 necessitatem *Satisfactionis Christi* ; Afferere  
 Redempt. universalem , cuius intuitu dari  
 possit salus , etiam sine fide aut cognitione  
 Christi , quod est separare , quæ sunt indi-  
 vulsa : Nempe in Script. æquipollent ser-  
 vari per Christum , & per fidem Christi , seu per  
 Christum cognitum , apprehensum , sibi ap-  
 plicatum , &c.

V. An obtinere debeat in Christianâ Republicâ, non jam libertas interna Conscientiae prophetandi, nec cogi aut possunt aut debent, quod est ἔξαγαννον; sed libertas externa prophetandi, quâ unicuique in eadem Republ. & Ecclesiâ, liceat non modò sentire diversum de Religione, sed & externè quod sentit profiteri, imò & docere quod putat esse verum? Atque adeò palam iis contradicere quæ hactenus publicis Formulis tradita, aut communis Ecclesiarum confessione recepta, post reformatam Ecclesiam, eo obtentu, quod sola Scriptura vel ratio sit norma fidei? Affirm. Remonstrant. Negant Orthod.

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη, 1. Falsus conceptus de Libertate Christianâ, quasi hæc permittat confusionem, 1. Cor. XIV. 23. aut evertat regulas prudentiae, 1. Cor. VI. 12. charitatis, quæ adificationem attendit, 1. Cor. VIII. 9. X. 23. XIII. 1. 2. obedientiae debitæ Legibus Civilibus, Ecclesiasticis, Rom. XIII. 1. Hebr. XIII. 17. &c. 2. Præter normam unicam Fidei, non requiri etiam, secundum illam ipsam Normam Verbi Divini, vincula Unionis, Concordiae & normas Ordinis, quæ obligent, si non in foro interno, quoad animi sententiam, saltem in foro externo, 1. Cor. I. 10. XI. 16. XIV. 40.

SCOPUS, commendare Syncretismum  
Univers-

Universalem, de quo Controv. *Anti-Socin.*  
vn. Tùm & liberè posse oppugnare *Confes-*  
*sionem Belgicam*, *Cathecisin*, *Formulas U-*  
*nionis*; hinc introducere *Socinianismum*,  
*Libertinismum*, in Religione, in dies hodiè  
gliscentem, &c.

## De Deo, ejusque Nominibus, Naturâ, Attributis.

I. An de Incommunicabilitate nominis VI.  
*Jehovæ*, de Essentiæ divinæ omnimodâ *Sim-*  
*plicatae*, Dei *Infinitate* absolutâ, *Omnipræ-*  
*sentia* secundum *Essentiam*, Duratione *indi-*  
*visibili* citrà temporis differentias, *Præcien-*  
*tia* futurorum contingentium infallibili, seu certiu-

*De Sario-*  
*rum Dei*

*Justitiâ* necessariò peccati ultrice, ( prout tudine, &  
Status controversiæ in *Anti-Socinianis* su- *Attributori*  
prà positus est, ) nihil planè tradat Scriptu-  
ra S. ? Imò an etiam contrarium haud ob-  
scure tradat, juxtâ sententiam in superiori-  
bus à Socino aut Vorstio expressam, nihil-  
que hæc faciant ad salutares *usus*, & praxim  
*pietatis*; tantùm abest ut talia ad *Articulos*  
de Deo cognitu *necessarios*, referri debeant?  
*Statunnt* itâ Vorst. & Remonstr. *Contr. Or-*  
*thod.*

ΠΡΩΤΟΝ Ψεῦδος, communia his Re-  
monstrantibus cum Vorstio & Socinianis  
B 3    studia,

studia, undē & Vorſtii olim tam enixa com-  
mendatio: Tūm & quæſitus *Syncretismus*,  
antè notatus, etiam cum iis, qui *Satisfac-  
tionem* negant, aut Divinitatem *Filiī*, qui  
totiens ~~negant~~. Falsa etiam Hypothesis, ni-  
hil hæc Doctrinæ Orthod. Capita facere ad  
uſum, ad praxim, ad ſtudium pietatis: Abs  
quibus Deus ne cognosci quidem potest, nec  
effe id quod eſt, Ens perfectissimum, ipſis  
illis Attributis diſtinguitum à Diis λεγομένοις;  
Ita nec fine iis coli cum fiducia, quum v. gr.  
*ex Præſcientiā Dei, & Immutabilitate voluntati*,  
&c., naſcatur piorum ſolatium, *Jobi.*  
*xxiii. 14. Davidis. Ps. cxxxviii. 6. cxxxix.*  
*2. &c. & Pauli admiratio Rom. xi. 33. &c.*  
Sed vide singularum Controversiarum  
*πρώτα Φεύδη*, in *Anti-Socinianis, Controv.*  
*VI. VIII. X. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.*

VII.  
*De Scien-  
tiā Dei  
Media,*  
absque  
quā tolla-  
tur Liber-  
tas & Con-  
tingentia.

II. *De Scientiā Media ſeu Conditionatā*, ea-  
dem eſt cum Remontrantibus Controver-  
ſia, quæ cum Pontificiis ſuprā *Contr. ix.* Cui  
iſtud adde: An ſatiuſ fit, negare Præſcien-  
tiam futurorum contingentium, quod fa-  
ciunt Sociniani *Contr. XVI.* quam ſtatuerit il-  
lam fundari in Decreto Dei determinante  
ſeu effectivè ſeu permiſſivè quoad mala,  
quod faciunt Reformati? Quo ipſo tollatur  
omnis libertas, & rerum contingentia? Af-  
firm. Curell. Remonstr. Neg. Orthod.  
*alioſ. I P O T A Φεύδη, quoad Scientiam Me-  
diam,*

diam, commentum Petri Moline, vel P. Fonsecæ Jesuitarum, superiore Seculo, sunt præcipue : Adstruētio Prædestinationis ex prævisione fidei, vel operum, hinc & indeterminatæ voluntatis, etiam positis omnibus ex parte Dei : Item, negata in Deo voluntas permittendi peccatum; quasi dici possit admissum ab Adamo, Deo nesciente, aut invito, aut qui non potuerit impedire; si autem potuit & non impedivit, quod tamen, (ut fatentur) præscivit, necessariò infertur hinc voluntas seu decretum permittens: Item, quasi ponи res possint in statu futuritionis, & hæc à Deo præsciri, independenter à Deo, & citrā futuritionis illius causam æternam, & determinantem, in Deo ipso : Item, ex Præscientiâ Dei, quam fatentur, esse certam & infallibilem, non æqvè adstrui necessitatem futuritionis rerum, quam dicimus nos necessitatem eventus; nisi jam adstruant ipsimet fatalem necessitatem, quatenus hæc talis necesitas quæ non pendet ex Dei voluntate, decreto : Item, pugnare omnem necessitatem, puta determinationis extrinsecæ ex parte Dei, sed congrue naturæ rerum, cum libertate aut contingentia Creaturarum, cum exhortationibus Dei, cum hominis precibus, vel usu mediorum quæ ducunt ad finem à Deo determinatum; sexcentis jam in contrarium exemplis

emplis in Script. S. *praordinationis* Dei infallibilis, sine lœsa intrinsecus libertate, seu in bonis, *Act. XIII. 48. Luc. XXII. 32.* etiam in civilibus, v. gr. *Luc. II. 1.* seu in malis: Sic in his (scil. malis) falsa Hypoth. ex *præordinatione* Dei, seu ex *Voluntate* permissa peccati, quatenus hoc est medium ostendendæ Dei gloriæ, (undè sequatur sanè peccati futuritio, ut sequitur quoque ex *infallibili Præscientiâ*) fieri Deum peccati causam vel *physiscam*, vel *moralē*, vel *consequentis*, vel vim inferentem, & necessitatem *intrinsecè* ad peccatum; contrà induitat. Pharaonis, proditione Judæ, sententia Pilati in Christum, contumaciâ Judæorum *Job. XIII. Luc. XXII. Act. IV. &c.* Falsò etiam affingitur *Scientia Media* Remonstrantium *Gomaro, Walleo*, aut nostratis Theologis, qui supponunt semper interveniens *Decretum*, ut conditionem, si Deus hoc & illud ita decerneret; adeoque supponunt, nihil futurum quicquam eorum quæ Deus pro infinitâ suâ perspicaciâ *præcivisse* dicitur, scientiâ suâ *naturali*, nisi interveniente ejus *Decreto*. Quæ objiciantur ex Scripturâ S. ac præ ceteris, ex *Mattb. XI. 21.* vide proliximè à me vindicata, contrà hos Remonstrantes, & quoscunque alios, *Vindictar. Bibl. c. P. II. Loco III.*

VIII.  
De Affec.

III. An Deo ita tribuantur effectum Amoris

ris, Misericordiæ, Iræ, Odii, Gaudii, Dolores, Desiderii, Pœnitentiæ, &c. obviis Scripturæ locis, ut quamvis non planè sint nostris affectibus similes, tamen neque planè sint iis dissimiles; Atque adeò sint in Deo veræ *commotiones*, si non alterationes corporis quales in sanguine, ac spirituales tamen & nostris *analogice* motiones, quæ respondeant talibus locutionibus quibus utitur Scriptura S.? An verò omnia Deo tribuantur αὐθωποταθῶς μεταφοριῶς, sed intelligenda θεοπετῶς, non ratione, ullius affectūs, aut mutationis voluntatis in Deo, sed ratione objectorum divinæ voluntatis, & effectorum, ac mutationis rerum extrâ Deum? Affirmant prius Vorst. Curcell. Remonstr. nec omnes tamen, Post. Orthd.

*Etibus &  
Commotio-  
nibus in  
Deo.*

ΠΡΩΤΟΝ Ψεῦδος conceptus Vorstianus de Deo corporeus, antè explosus, ad Controv. Socin. xii. & seq. Item, nullam fore rationem locutionum Scripturæ S. nisi sit in affectibus divinis convenientia quædam cum humanis; quod & de membris corporeis dici posset, &c. Aut quasi convenientia illa sit quærenda in affectu ipso, non verius in effectis, quomodo v. gr. *amor* est voluntas benefaciendi, *odium* voluntas puniendi, *misericordia*, gratia facta miseris, *patientia*, dilatio pœnae, ut faciunt οἰκεῖοντες, &c.

C 5

SCOPUS

SCOPUS, ut Decreta adstruantur mutabilia, temporaria, vel suspensa ab actionibus Creaturarum.

IX.  
De Dei  
Perfecti-  
on. per Re-  
formatos  
scil. eber-  
sis.

IV. An Dei ἀπροσωποληγίαν, Sinceritatem, Clementiam, Bonitatem, Libertatem, & id genus virtutes evertant, qui docent Deum æterno & immutabili Decreto quosdam pro summâ suâ libertate præteriisse, & reprobasse; vel etiam, Deum velle quadam voluntate signi, jubente, prohibente, &c. quæ non voluntate sui decreti? Aut qui statuunt, ne minimum quidem peccatum, quod verè tale sit, illæsa Dei justitiæ impunitum posse dimitti, &c. Affirm. Curcell. Remonstr. Negant Orthod.

ΠΡΩΤΑ Λεύδη sunt, eam προσωποληγίαν in vicio esse, quæ est actus non certe Judicialis, quo malè respiciuntur qualitates quæ nullam habent connexionem cum causâ, seu naturæ, seu artis, seu fortunæ, &c. sed Extrajudicialis, puta liberrimæ Donationis, gratuitæ Electionis, citrâ respectum qualitatum iu electis, sed & citrâ injuriā in reprobis, præteritis, ut Matth. xx. 13. 14. xxiv. 40. 41. Rom. ix. 20. 21. &c. Item quasi Voluntas, quæ signi dicitur, seu quæ nota est officii nostri, & via ad salutem prescriptæ, & quid Deus velit à nobis fieri, in Verbo revelato; sit quoque signum arenorum ac specialium Dei Decretorum, quid Deus

Deus ipse velit facere de nobis, &c. Quum sint hæ Voluntates non *adversæ* quidem, sed tamen *diversæ* subiecto, objecto, adjunctis, modo obligandi, quum nostrum sit respicere non ad voluntatem Dei arcanam, sed ad revelatam, *Luc. XIII. 23. 24.* Item, precariò *oppositæ* ab Adversariis Dei inter se perfectiones, quasi una evertat alteram, quasi v. gr. Dei Jus absolutum evertat ejus Sanctitatem, aut Dei Misericordia ejus Justitiam, aut Immutabilitas decretorum ejus Libertatem, &c. Quæ omnia sunt in Deo ipso componendæ.

## *De S. Trinitate in genere, & Personis Divinis in specie.*

I. An doctrina de *S. Trinitate*, non ut passim à Scholasticis traditur, sed ut in Scripturâ *S.* proponitur, credimusque esse in unâ eâdemque Divinitate *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum S.* tanquam tres ὑποσώματα distinetas, (modo nobis quidcm ακαταλήπτω) quas in ipso Baptismo ut commune objectum nostræ fidei, invocationis, cultûs, obsequii, voti, profitemur, *Matth. xxviii. 19.* An (inquam) hæc sit doctrina fundamentalis, seu cognitu necessaria ad fidem & salutem, ut damnet ejus cum ignorantio omnimoda,

X.  
De do-  
ctrina  
funda-  
mental-  
*S. Trini-*  
*tatis.*

moda, *Joh.* xiv. 1. 6. xvii. 3. tūm *negatio* pertinax, i. *Joh.* iv. 1. 2. 3. Absque quā adeò nec vera Dei (ut se in Verbo suo revelavit) *cognitio*; nec verus Christi Domini *cultus*, qui unius Dei est, *Gal.* iv. 8. nec certa in Deum *fiducia* hominis Peccatoris *Joh.* xiv. 1. xx. 28. 31. &c. (quæ non potest esse nisi *in Deum*. ex *Jer.* xvii. 5. & ex Prophetis ac Davide sexcenties) hinc nec *salus* ipsa, consistat? *Affirmant* Orthod. *Negant* Remonstr.

*Scopus* est, *Syncretismus* seu *Tolerantia* probata etiam cum Socinianis, & Anti-Trinitariis: Πρῶτα Φεύδη, paucissima esse quæ de Deo *cognitu* sint ad salutem necessaria; Criteria quoque Articuli *fundamentalis* esse, si sit formaliter *practicus*, præscribens officium pietatis aut charitatis; vel si *natura* τὸ ἔγχον efferatur totidem verbis Scripturæ S.; vel si attemperatus sit, *ratiōni*, & ideis nostris claris ac distinctis; vel si de eo sit *Consensus universalis* inter Christianos omnes sic appellatos, ut *consensus* est, de debitâ ergâ Scripturas *reverentiâ*, de *obedientiâ* præceptorum divinorum, hinc de *fiduciâ* remunerationis, &c. Quarum Hypotheseōn falsa postulata vidi mus in Controv. *Anti-Socin.* v. vi. vii.

Sic πρῶτον Φεύδη & istud est, i. Quasi credere possimus in Christum, Dei Filium, cum fiduciâ, & obedientiâ mandatorum, & verâ

verâ invocatione, ignoratâ ejus Divinitate. 2. Quasi pluralitas Personarum simpliciter & in totum fuerit ignorata Patriarchis, Prophetis, Patribus V. T. 2. Quasi doctrina S. Trinitatis, qualiter constituit Articulum necessarium, nonnisi per obscuras & remotas consequentias eliciatur ex Scripturâ S.: Hinc cavilla, & calumniæ, circâ sententiam Orthodoxam: In quâ sanè distinguenda, quæ faciunt ad substantiam illius Articuli, & ad esse fidei; quæ item ad ejus munimentum, contrâ oppugnatores; quæ tandem ad Scholasticas & otiosas de hoc Mysterio, de Notionibus personalibus, de modo Generationis, Spirationis, &c. subtilitates, aut etiam quæ perperam circa illud sunt affecta Catholicis.

II. An sint in Deo tres Essentiæ numericae, sed quæ convenienter in unâ Essentiâ specificâ; Ut adeò singulæ Personæ Divinæ habent Essentiam sibi propriam, id est, distinctionem ab Essentiâ, non jam cujusvis rei aut personæ creare, ut sanè habent, sed etiam ab Essentiâ alterius Personæ Divinæ? Et Pater quidem solus fit summus ille Deus, Job. xvii. 3. qui simpliciter & absolutè nomine Dei in Scripturâ veniat; Filius verò fit Patri quoad Divinitatem, hinc dignitatem & potestatem, subordinatus; uti Spiritus S. subordinatus essentiâ Patri & Filio? Nec aliter

xx.  
De Tribus  
in Deo Es-  
sentiis, se-  
cundum  
Curcell.

liter dicti sint *οὐδὲν οὐδὲν* seu *consubstantiales*, ex mente Nicænorum Patrum, quām prout tres *Homines*, ejusdem Naturæ humanæ participes, sunt inter se *Consu**bstantiales*? *Affirmant* Episc. Curc. &c. *Negant* Orthod.

SCOPUS idem qui suprà, convellere Mysterium S. Trinitatis, & favere saltem Arianismo;

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη sunt: Non dari medium inter *Sabellianismum*, & *Tritheismum*, atque Orthodoxos priorem amplecti; Item, negata cum Vorstio *infinitas Essentia Divinæ*, & omnimoda *simplicitas*; Malè etiam collatæ Personæ *infinitæ & increatæ*, cum personis creatis & finitis, numericâ essentiâ fanè distinctis; *Arianismus* quoque recetus, & specie stabiliendi τῷ ὀμοσίᾳ, reverà assertum τῷ ἐτερῷ Χιον, τῷ συνῷ Χιον, τῷ αὐτῷ Χιον, vel saltem τῷ ὄμοιῷ Χιον, de quo tanto-perè in Vet. Ecclesiâ litigatum. Ac de voce ὀμοσίᾳ ex professo Clariss. Maresius contrâ Curcellæum disputavit. Nec tamen hanc notionem, vel vocem, dicimus ex se *necessariam* ad esse simpliciter veræ fidei, in quovis Christiano, &c.

XII. IV. An ex cultu religiosæ *Adorationis* atq; De *Adora*-*Invocationis*, delata Filio, vel Spiritui S. se-  
bilitate, ut *Creatura communij-  
cabisse*. cundum Scripturas, & praxin Christianam, colligatur utriusque *Divinitas*, argumento certo

certo & invicto? Ut adeò *Adorabilitas* nulli  
*Creaturæ*, ratione alicujus excellentiæ, di-  
ginitatis, officii, aut potestatis delegatæ,  
*communicari* possit ex gratiâ, ut cujus *fun-*  
*damentum* sit infinita Dei Majestas, *Deut.*  
*vi. 13. x. 20. Es. xi. ii. 8. Matth. iv. 10. Gal. iv. 8.*  
&c. Quemadmodum nec *communicata*  
ea fuerit *Angelis* sub V. *Test.* tanquam Dei  
Legatis, ejus scilicet Nomen aut Personam  
gerentibus; Uti nec *communicata* eadem  
*Christo homini*, simpliciter tali, sub N. T.  
scil. ratione *Officii Mediatorii*, aut accepta à  
Patre Dignitatis ac Potestatis? *Affirm.* prius,  
*Negant* post. Orth. *Contrà Remonstr.*

REDEUNT Πρῶτα Φεύδη Socinianorum,  
quibus hac in parte patrocinantur Remon-  
strantes, nota jam suprà in Controversi. *Anti-*  
*Socin.* x. xx. xxii. xxiii. xxiv. quò redi: Πρῶ-  
τον Φεύδη in specie est, in *adoratione Chri-*  
*sti Mediatoris*, & Θεανθρώπων, hujus seu *Me-*  
*diationem* ac *Munus*, seu *Gloriam* quam Na-  
*turæ Humanæ Deus ἐχάρισατο*, *Phil. ii. 9.*  
(*non verò ipsam Mediatoris Divinitatem*)  
*esse causam proximam, & immediatam, quæ*  
*fundet propriè dictam adorationem:* Quam-  
vis ex mente nostrâ, 1. *Objectum quod ado-*  
*ratur*, sit Christus Mediator, Θεανθρώπων  
*totus Christus.* 2. *Mediatio illius sit causa*  
*movens*, seu *objectum considerationis*, ut lo-  
*quuntur.* 3. *Natura ejus Humana*, ad sum-  
*mam*

magloriam evecta, sit *commune σέβασμα*  
cūm quā Christus adoratur, & sine quā non  
adoratur. 4. Illi etiam debeatur *Honus Mediato-  
rius*, sed ab *Adoratione* quæ fertur in  
*Mediatorē ut Deum*, distinctus. Quā de  
re Theologi pluribus, & de *adorabilitate*  
unius Dei, nos ex professo *Vind. Bibl.* ad  
*Matth. IV. 10.*

XIII.  
De ador-  
randā  
Personā  
Sp. S.

IV. An *Spiritu S.* tanquam verò Deo, Je-  
hovæ, Datori suorum donorum, cum Pa-  
tre & Filio, sive tanquam Personæ aut *ὑπο-  
στάσιον* Divinæ, debeatur etiam cultus reli-  
giosæ adorationis unà cum *Patre & Filio*; Hu-  
jusq; omnino cum mandatum extet in Scrip-  
turā S. saltem *generale & implicitum*, de ado-  
rando illo qui Verus est Deus, tūm etiam ex-  
tent exempla; Ex. gr. in formulā *Baptismatis*, implicante invocationem, ac petitio-  
nem gratiæ super baptizato, *Matth. xxviii. 19.*  
Sic apud Paulum, precantem Corinthiis ut  
à Christo gratiam, à Deo misericordiam, sic  
à Spiritu S. *communicationem* activam dono-  
rum, &c. v. *Cor. XIII. 13.* Imò in ipso Trisagio  
Seraphico, *Ezai. VI. 3.* in precatione illa Jo-  
hannis, *Apoc. I. 4.* etiam in praxi & in *δοξο-  
λογίαις* primorum Christianorum, atque in  
asserto Justini Martyr. se *Πνεῦμα τε τὸ προ-*  
*Φητικὸν σέβεσθη προσκυνεῖν*, &c. *Apol. II. 2.*  
Negant Remonstr. Affirmant Orthod.

LIPOTON

ΠΡΩΤΟΝ Ψεῦδος, Divinitas *Spiritus*  
*S.* per indirectum pulsata; quem ad minimum censem *subordinari* quoad Divinitatem Patri & Filio, hinc *inferiorem* illis esse, ut Filius quoad Divinitatem sit inferior Patre. Sic ingens postulatum de adorato *Spiritu S.* vel coadorato cum Patre & Filio, nihil omnino in *S.* Scripturâ legi. Dissimulata etiam vel contorta *Scripturæ* loca, quæ inferunt eam *adorationem*, Matth. xxviii. 19.  
 2. Cor. XIII. 1. Cor. VI. 19. Apoc. I. 4. cum Jas. I. 17. &c. quæ alibi vindicamus.

## De Decretis Dei in genere, & Prædestinatione in specie.

De Naturâ Decretorum Dei, an sint quid ab Essentiâ divinâ distinctum, prout sunt actus Dei immanentes, reddit Controv. *An-*  
*ti-Socin.* XXV.

ΠΡΩΤΑ Ψεῦδη Remonstr. Vorstianor. eadem cum Socin. illis, pluribus ostensis pag. 173. 174.

SCOPUS, accommodanda ad suas hypotheses doctrina cum de *Decretis* in genere, tum de *Prædestinatione* in specie: Ut ex sequentibus Controv. patebit.

I. An *Decreta Dei*, ut sunt actus liberi di-  
 vinæ Voluntatis, nec existunt (relata ad *De Decrea*  
 D sua eorum Deb

*absoluta sua objecta*) per absolutam Naturæ necessitatem, hoc ipso etiam non sint absolute, ut nullæ in tempore siant. *eterna*, immo contractionem implicit esse liberum & eternum; recteque eadem Decrepta dicantur esse facta, per modum cujusdam productionis? An adeò, uti Decreta quædam generalia, circà Mundi Hominumque regimen, facta sunt antè Mundum conditum; ita etiam specialia Decreta, circa singulares personas, salvandas vel damnandas, aut circà facta singularia, quotidie adhuc siant, & porrò facienda sint usque ad finem Mundi, non jam ratione executionis Decretorum, sed ipsius Consilii divini, vel Intentionis Dei decernentis? Affirmant Vorst. Curae. Remonstrant. Negant Orthod.

SCOPUS, Decretum Electionis & Reprobationis absolutæ, peremptoriæ, irrevocabilis, quam vocant, facere temporarium, post finalem hominis perseverantiam, vel impoenitentiam.

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη sunt; Varii & successivi actus Deo decernenti adscripti, qui sane tales non ex parte Dei, sed nostri conceptus, ordine etiam naturæ, non temporis. Item, opposita esse quæ non sunt, puta esse in Deo liberum, liberæ voluntatis, & esse illi coartatum; quasi in Deo sit ulla præelectio, prædilectionis. Dissimulata adhac Scripturæ loca, vel perversa, quæ tribuunt Deo decretis

decreta **מִימֵדָע**, ἀπ' αἰῶνος,  
 πρὸ τῶν αἰώνων πρὸ χρόνων αἰώνων, πρὸ κα-  
 ταβολῆς οὐσίας, Act. XV. 18. Eph. I. 4. I. Cor.  
 II. 7. 2. Tim. I. 9. I. Pet. I. 20. &c. Supposita  
 etiam in Deo producτio χρονικὴ suorum,  
 Decretorum. Vide Controv. Auti - Ser-  
 cin. xxv.

II. An Decreta eadem, ut dicunt ater-  
 num Dei beneplacitum, consilium, volunta- De Decreta  
 tem, electionem propositrum, &c. sint absolutè torum Dei  
 immutabilia, secundum immutabilem Dei Immuta-  
 naturam & voluntatem Mal. III. 6. Jac. I. 17. bitate,  
 Num. XXIII. 23. &c. Unde hoc respectu res  
 omnes decretæ, seu effectivè seu permissi-  
 vè, sint necessarie necessitate consequentia,  
 seu futuritionis, & immutabilis eventus,  
 dum oportet aut *necessæ est* eas fieri (ut lo-  
 quitur Scriptura) Lue. XIV. 26, 46. Matth.  
 XXVI. 54. &c. κατὰ τὸ ὥρισμά μου, κατὰ τὴν  
 πρόθετην, κατὰ τὸ ἀμέταθετον τῆς βελῆς, Lue.  
 XXII. 22. Rom. IX. II. 2. Tim. II. 19. Hebr. VI. 17.  
 Act. IV. 27. 28. &c.

An verò sint Decreta Dei mutabilia revo-  
 cabilia, secundum actiones creaturarum,  
 & mutabilitatem humanæ voluntatis; mul-  
 tis hujus mutati in Deo consiliis in Scripturâ S.  
 exemplis, in Historiis scil. Diluvii, Abra-  
 ami, Israëlitarum, Ninivitarum, Ezechiæ,  
 &c. Utpotè quæ Decreta sint sàpè a condi-  
 tionibus mutabilibus extrâ Deum suspensa?

D.

N.

Neg. prius, *Affirm.* post. Remonstr. *Contra Orthod.*

**S C O P U S** idem qui suprà, adstruere voluntatem servandi *universalem*; Decreta *conditionata à priori*; *incompleta eadem*, *non peremptoria*, *revocabilia*, quæ in tempore fiant, &c.

**ΠΡΩΤΑ Ψεύδη**, determinationem *extrinsecam* Decreti divini, tollere libertatem *intrinsecam* voluntatis, aut contingentiam rerum resp. nostri. Vel, omnem *necessitatem*, (puta quæ ex ordinatione Dei, aut *necessitatem eventū*, vel servitutis peccati, vel voluntatis ex se ligatæ ad malum, aut ex gratiâ ductæ ad bonum *Phil. II. 13.*) tollere τὸ προαιρετικὸν, τὸ ἐκθετικὸν. Supponunt etiam Decreta *suspensa à voluntate humanâ*, à conditionibus incertis; quæ & ipsæ *decreta*, dandæ, implendæ in suis electis, ac Decreto Dei *subordinata*, obviis locis, ut suprà in Controvers. de Prædestinat. & sequent.

Adde, confundi mutationem *rerum voluntarum* extrà Deum cum mutatione *voluntas* in Deo, Sic Dei mandatum *exploratorium*, aut *promissiones*, vel *minas* sanè *conditionatas*, qualiter in Exemplis allegatis, confundi cum Dei Decretis, aut Dei proposito. Vide rursus Controv. *Anti-Socin.* xxv, xxvi. & de *Articulis*.

De

De *Prædestinatione Hominis*, ad statum *XVI.*  
 æternum, ut cūx in tempore fiat; nec antè *De Præde-*  
*peremproria si* iam post mortem hominis, *finat.*  
 seu post finalem perseverantiam vel in fide, *tempora-*  
 vel in incredulitate & inobedientiā; re-  
 deunt eadem quas antè diximus, Contro-  
 versiæ *Anti-Socin.* *xxvi.* *Anti-Arm.* *I.* & *præ-*  
*cedens* *xiv.* *xv.*

Eadem quoque sunt πρῶτα Ψεύδη. In  
 specie, confusa *Prædestination* in *decreto*, &  
 in *executione* *decreti*; seu ordo *intentionis*,  
 quæ intendit primò finem tum media, &  
 ordo *executionis*, ubi media, v. gr. fides, per-  
 severantia, &c. præcedunt impletionem  
 finis: Rancida etiam de hæresi *Prædestina-*  
*tianā* calumnia, quam ipse *Corvinus* &  
*Episcopius* agnovere (in suis contrà Molli-  
 næum, & Cameronem) natam ex abusu &  
 falsa interpretatione doctrinæ *Augustini*;  
*Quod* & *Corn.* *Jansenius* adstruxit pluri-  
 bus in suo *Augustino*, T. 2. *Libro VIII.*  
*C. xxiii.*

## De Actionibus Creationis & Pro- videntia Divina.

I. An *Creatio Angelorum*, & *Mundi* invi- *XVII.*  
 sibilis, seu non apparentis *Hebr.* xi. 3. uti & *De Pra-*  
 tertium & supremum *Cœlum*, vel etiam an *existentia*  
*Cœli Ane-*  
*pri-gelorūm,*

*Materie, primævum Chaos, aut Materia rerum omnium, præcesserit multis aut infinitis seculis Creationem Mundi hujus visibilis; Absque quo difficulter admodum, vel Deus ab accusatione otii liberari posuit; vel expediri difficultates, quæ suadent antè hanc Terram extitisse Angelos; sic non primum à sexto fortè milibus annorum extitisse immensum illud Chaos, undè Cœlorum vastissima spatia & Corpora sint educata? Ut adeò ante Mundum hunc adspectabilem conditum, licet non fuerit tempus *externum*, quod Solis & Lunæ motu mensuratur, fuerit tamen tempus *internum*, ut vocant, quod in rerum præexistentium duratione consistebat? Affirm. variè Episcop. Curcellæus, & alii, Negant Orth.*

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη varia sunt, pro varieta te Hypotheseon. Supponunt, quibuscum nobis hic res est; Alii, Deum concipi non posse agentem aut actuosum, nisi extra se operantem, crasso sanè de Deo conceptu. Alii Gen. i. i. non notari principium rerum omnium, ipsius adeò Creationis, sed redenda esse verba, priusquam crearet vel creasset Deus, &c. & ita ipse H. Grotius; vi factâ phrasî, & constructioni, & frequenti allusioni ad hoc בְּרָא בְּרָאשׁוֹת, per τὸν ἀρχῆν αὐτὸν ἀρχῆν, διότι παταθολῆς κόσμου quando Deus creavit Cœlum & Terram, creavit

creavit seu fecit omnia, &c. Alii reddunt, quum primū crearet Deus, Terra erat, &c. hoc ipso initium ut rerum omnium, sic materiae tūm creatæ, agnoscentes: Alii, præ-exstitisse Creationi illud חַaos, Chaos undē omnia educita, quod Moses dixit de formā Terræ primū create, tenebrisosæ, inornatae: Alii, describi Mosis Creationem Mundi visibilis, & sublunaria, non etiam summi Cæli, vel Cælorum, idque modo, Judæorum ingenio accommodato precariā Hypoth. Alii, actionem, vel verbum בָּרָא creandi, presupponere materiam, & què ac בָּצֶר, עֲשֵׂה, non attendentes præter verbum etiam rem Mosis, qui de creatione rerum omnium, in principio, quum nihil adhuc esset, vel appareret, solo verbo, jussu, nutu, &c. Alii nihil esse in Textu Mosis, Gen. i. aut II. i. quod referri posse ad Creationem Angelorum, vel Invisibilium; conjungente licet Paulo Col. I. 16. 17. creationem omnium quæ in Cælo & Terrâ, ὅπατῶν τε καὶ ἀοπάτῶν, &c. Nec Jobus aliud, C. xxxviii. 4. quām creatos Angelos antè Terram fundatam, Ps. CIV. 4. 5. &c. Mittimus absurdia Hypothesēōn, v. gr. de Materiâ præexistente Creationi universali, unde vel increata illa, vel statuenda Creatio alia prior Mosaicâ; Sic de Tempore quod fluxerit antè secula, antè omnia, antè Mundum conditum, antè Cælum & Terram, antè

paratum solem , antè opera Dei , ante ullum tempus , &c. locis expressis , quibus phrasibus sanè notatur Æternitas , tūm initium rerum omnium ,

Scopus horum Socino - Remonstrant. enervare Loca Script. S. quibus Filiū æternitas adstruitur , & ad sensum Arianum infletere ; Etiam illa loca , quibus æternitatem Decretorum defendimus . Nec prævalet Auctoritas , vel Origenis , vel Basiliī , vel Chrysostomi , vel Nazianzeni , &c. qui ex Platonica Philosophia in his præoccupati fuere , & de Angelis statuerunt quod Ariani de Filio Dei . Aliorum quorundam Scopus diversissimus fuit , scil. Historiam Hexaemeri accommodare suis Hypothesibus , v. gr. de non uno Mundo , & de solā descriptione , eaque populari , Mundi sublunarī Gen. I. Licet Scriptura ubique Creationi hujus Telluris jungat illam Cælorum , factam novū simul , eodem tempore , & modo , ut Syracides , C. xviii. i. Nec hic tantum Moses , Gen. I. II. I. sed & David totiens , Ps. xxxii. LXXIV. civ. cxxxvi. Jerem. x. 12. Neb. ix. 6. Act. xiv. 15. & reliqui Viri Dei , quotquot de Creatione agunt . Aliorum Hypothesis est , de productione hujus Mundi , & omnium totius Universi Phænomenon non nisi longā successione Seculorum , pro variā materiæ

materiæ agitatione, & legibus motūs, neglectâ Auctoritate Virorum Dei.

II. An Providentia divina versetur circa **XVIII.**  
*Conservationem* hujus Universi nonnisi *nega-* *De modo*  
*tivè*, impediendo ne suum illi esse adima-*Divine*  
*tur*, seu vires semel in *Creatione* datas non  
*auferendo*, non verò etiam *positivè* per con-*Conserba-*  
*tinuatam* quandam *Creationem*, susten-*tionis &*  
*tationem*, motionem *actualem*, continu-*Concursus*  
*umque* influxum, sexcentis locis assertum,  
*Ps. civ. 28. 29. Neb. ix. 6. Act. xvii. 28. 1. Cor.*  
*xii. 6. Hebr. 1. 3. &c. ?*

Ità, an circa *actus* humanæ *Voluntatis*, &  
*Liberi arbitrii*, Deus ita gubernando ver-  
*fetur*, ut non influat in ipsam hominis vo-  
*luntatem*, *Concurso* (voce hac à conceptu  
*corporeo* liberatâ) vel motione *præviâ* &  
*prædeterminante*, eademque *immediatâ*,  
*quoad* motum *physicum*, & *quoad bonum mo-*  
*rare*, ad *singulas* eorum actiones; Sed an  
*potius* Dei *Concursus* vel motio, ad parti-  
*culare* opus, determinet à voluntate Ho-  
*minis*, se ipsam primò ad suos *actus* deter-  
*minante*, undè tūm Deus cooperatur *Con-*  
*cursu simultaneo*, pro ratione *dependentie*  
*Causarum secundarum à primâ?* *Affirmant*  
*Remonstr. Negant Orth.*

*Scopus* est, *Pelagianismus* revocan-  
*dus*, & asserenda independentia Lib. Ar-

bitrii, viresque sufficientes ut se determinet ad Bonum Salutare.

ΠΡΩΤΟΝ Ψεῦδος, consistere posse eum Divinæ Providentiæ conceptum, cum absoluto & universali Dominio Dei, in Creaturas; Cum essentiali harum subordinatione & dependentiâ à Creatore; Cum proprio sensu nostræ infirmitatis: Cum precum materiâ, fine, efficaciâ, ut Deus nos insipiret, illuminet, ducat, dirigat gressus, aperiat corda, det mentem ad intelligendum, oculos ad videndum, &c. Et cum perpetuis Scripturæ hac de re locis, v. gr. Ps. civ. 28. Prov. XVI. 1. XX. 24. Jerem. X. 23. Matth. X. 29. Act. XVII. 28. I. Cor. XII. 6. Phil. II. 13. &c. Adeo exempla perpetua de speciali Dei gratiâ, motione, determinatione, operatione efficaci, ut circâ minima, Job. XXXVII. Ps. civ. Matth. VI. X. &c. itâ circâ Hominum actiones, quorum statuit gressus, inclinat corda &c. ut in Hist. Josephi, Gen. XLV. 5. I. 20. sic in aliis. Sed & πρωτα Ψεύδη istorum sunt: Frustrâ alias à Deo concessas esse Creaturis operandi vires, quas ita (secundum nos) debeat movere, excitare; Aut prædeterminatione illâ Dei, sed modo naturæ creatæ congruo, tolli libertatem voluntatis; Aut facere contrâ Concursum illum prævium, ea Script. loca (v. gr. Esai v. 4. & similia) quæ agunt de hominis officio, & de

Dei

*Dei longanimitate, & quæ auctoritate  
enunciantur.*

III An Providentia Dei *circum malum, sive peccatum*, sese habeat tantum per modum *præscientia*, ex quâ tamen nulla sequatur futuritionis necesitas: item in modum *permissionis*, sed otiosæ & inefficacis, quæ *negligentia* tantum se habeat, actum externum peccati non impediendo, & quâ permissione positâ, poscit tamen peccatum non omnino sequi? Ut adeò tribus his actibus circumscrribatur Providentia Dei circâ Pecatum, antequam fiat. 1. *Legislatione*, ne sit exceptio *ignorantia*. 2. *Conservatione virium* ad obsequendum, ne sit exceptio *impotencia*. 3. *Subministracione rationum quæ à malo avertant*, ne sit exceptio *Legis irrationalis*?

An verò versetur Providentia circâ Pecatum, ab æterno quidem, per modum *decreti* seu beneplaciti physicè *permisivi*, & sapientissimi quidem; scil. negantis ob sapientissimos fines, gratiam impedientem peccata emollientem, avertentem à malo, ad positas occasionses peccandi, ut in exemplis Pharaonis, *Ex. iv. 21*. Fratrum Josephi, *Gen. XLV. l.* Gentilium præteriorum, *Act. XIX. 16*. Judæorum non credentium, *Matt. XI. XIII. Job. XII*. Judæ Christum tradituri, *Luc. XXII. 22*. Pilati & Turbæ Judaicæ aeturæ in crucem, *Act. II. 23, IV. 28 &c.* Ex quâ voluntate permisivâ Dei, sequatur

tam

*XIX:  
De modo  
Providence  
divina  
circâ Pec-  
atum.*

tam certa *Peccati futuritio*, quām certa sunt  
Dei consilia, aut quām certa fuit in mente  
Dei Oeconomia *salutis*? In tempore verò  
an versetur eadem Providentia circà actio-  
nes malas. 1. In modum *permissionis* actua-  
lis, quæ quidem *efficax* sit quoad eventum, ut  
eā positā ponatur peccatum, v. gr. pecca-  
tum 1. *Hominis*, ut mox *Controv.* XXII. *indu-  
ratio Pharaonis*, *renditio Josephi*, *efficacia  
Erroris* 2. *Theff.* II. II. & sic in reliquis. 2. In  
modum *gubernationis* ac *coercitionis*, quoad  
actum omnem Creaturæ peccantis, po-  
nendo illi terminos, ut Pharaoni, Fratri-  
bus Josephi, Satanæ in Hist. Jobi, Sauli, Je-  
zabeli, Nebucadnezari, Herodi, Pilato,  
&c. 3. In modum *directionis* quoad finem &  
succesum, talem qui respondeat Dei consi-  
lio, qualiter, *Gen.* I. 20. *Exod.* X. I. *Ez. x. 6.  
Rom. ix. 17.* &c. 4. In specie in modum ju-  
stitiae *vindicis*, quoad judicium & pœnam,  
ut *peccata* etiam habent ratione *pæne*, Deo  
actu judiciali tradendo homines cùm suis  
affectibus *Psalm. LXXXI. 13. Rom. I. 24. 26.* &c.  
tùm Satanæ excœcanti 2. *Cor. v. 4.*? *Priora  
Affirm.* Episc. Remonstr. *Posteriora* Ortho-  
thod.

**ΠΡΩΤΑ** Ψεύδη, præter superiora, varia  
sunt: Primò, nudam & otiosam Dei *per-  
missionem* vel etiam *præscientiam* peccati, ci-  
trà voluntatem permittendi, aut *generalio-*

res illos quos ponunt Remonstrantes a-  
etius, satis consistere posse cum *Naturâ Dei*, & *Providentiâ*; quâ tamen nihil fieri  
potest vel invitâ, vel otiente, vel non phy-  
sicè movente, atque efficacissimè guber-  
nante. 2. Cum ipsâ illa *Præscientiâ*; nam  
aut potuit impedire malum quod præscivit,  
aut non potuit; si prius, & tamen noluit im-  
pedire, ergo voluit permittere, &c. 3.  
Cum ipsâ Dei *permissoне*; nam hinc fiunt  
mala, quia Deus permittit fieri, *Pf. LXXXI.*  
*I.3.* &c. ut in exemplis allegatis; & non fiunt,  
quando Deus non permittit fieri, *Gen. xx. 6.*  
*XXXI. 7. Jobi II. 6.* &c. 4. Cum aternis Dei  
certisque *Consiliis*, & *Judiciis*, quibus ea  
peccati permisso subservit, executiva De-  
cretorum, hinc non eventus incerti vel  
ambigui. 5. Cum superioribus Scripturæ  
S. locis, & Exemplis, expressissimis sanè,  
quæ alibi ab exceptionibus vindicamus.

Alterum πρωτὸν Φεῦδ@ est, ullam tri-  
bui Deo ab Orthodoxis *efficientiam*, vel *cau-  
salitatem* peccati; aut vim *coactivam*, seu  
physicam seu moralem; aut justam excu-  
fabilitatem in *Homine*: Cujus voluntas ea-  
que libera (Deo sanè negante gratiam im-  
pedientem) est causa Peccati *proxima*, &  
*immediata*, hujusque peccati fibimet  
conscia, exemplo Judæ, *Matth. XXVII. 4.*

**XX.**  
*De ceto numero Hominum, & termino Vitæ immobili.*

IV. An Providentia Divinæ ita subjiciantur omnes & singuli homines, ut certa sint, ex gr. *Hominum nasciturorum numerus, & nativitatis cujusque tempus*, *Psalm. cxxxix. 16.* hinc nullæ conjunctiones viri & fœminæ fiant sine Deo, aut ex gratiâ procurante, *Prov. xix. 14.* aut in judicio permittente, ex dictis. Ut etiam *Terminus vita* cujusque nostrûm non sit planè incertus aut mobilis, dependenter à voluntate & actionibus hominum, vel pro ratione obedientia eorum, aut inobedientia; Sed sit idem fixus & immobilis, determinatus nempe, non respectu nostræ cognitionis, aut secundorum agentium, quasi tollatur horum libertas, vel contingentia: verùm in aeterno Dei decreto, quo ut *capilli*, ut *casus passerum*, sic dies hominis numerati sunt, *Matth. x. 29. 30. Act. xxvii. 34. Job. xiv. 5. Eccl. viiiii. 8. &c.* Nec tamen sit ea determinatio *absoluta*, exclusivè ad causas *secundas*, vel *media*, vel *conditiones*; quæ & ipsa in aeternâ illâ Mente determinata sunt, ut quando impii tolluntur *in medio* cursu, *Ps. lv. 24.* sed salvâ semper libertate hominis, & improborum latâ culpâ, & rerum contingentia quoad nos? An is adeò *terminus* necessarius sit, necessitate non *absolutâ*, *fatali*, *cogente*, &c. ut inviosè figunt statum Controversi, sed *hypotheticâ*, & certâ *futuritionis*, hujusque ex immu-

immutabili Dei voluntate, & infallibili præscientiâ quo recte etiam trahatur præfatus locus *Jobi* xiv. 5. Negant Remonstr. Affirm. Orth.

ΠΡΩΤΟΝ ψεῦδος perpetuum, de fata  
linecessitate, tollente scil. libertatem, usum  
mediorum, Medicorum artem, vim tempe-  
ramenti, conditiones obedientiæ, vel ino-  
bedientiæ, etiam hortationes, minas, &c.  
Ut homo adeò bruta necessitate, vel adstri-  
ctus coactionis vinculis, ruat in sua fata:  
Sic illi, ignorato Elencho. Confusa etiam  
Dei comminationes abbreviandæ vitæ, Ps.  
LV. 24. aut promissiones longævitatis, Ps. XCII.  
16. &c. (semper cum conditione tacita vel  
Expressa, quæ se habent instar medii, mo-  
tivi, & notant hominis officium, ac Dei mo-  
dò justitiam, modò clementiam) cum vo-  
luntate æterni beneplaciti & arcanâ Dei, cir-  
cà singulorum hominum fata: Ita prolonga-  
tio vel abbreviatio dierum, vitæ, quæ talis  
dicitur respectu nostri, & ad hominem, ma-  
lè intellecta quæ talis sit respectu Dei, op-  
positè ad ejus præscientiam, & determina-  
tionem. Ac misera sunt effugia, v. gr.  
ad locum *Jobi* xiv. 5. ubi vis sit phraſi  
הַרְשֵׁת, dies non accitantum sed decisi, ut  
*Dan.* IX. 26. & positis terminis, id est, ὥπισ μέ-  
γος. Opponunt etiam ea, quæ componit  
Textus,

Textus, terminum vitæ brevem, sed & simul  
cuique definitum.

## De Statu Instituto primi Hominis.

*Justitiam originalem, & Immortalitatem*  
primi Hominis, non modò dubiam faciunt  
Remonstrantes, aut quæstionem *inutilem*;  
sed & omnino cum Socianis tollunt, ac di-  
fertissimis verbis utramque negant, atque  
explodunt indignum in modum, Episco-  
pius, & Curcellæus. Redi igitur ad *Contr.*  
*Anti-Socin.* xxviii. xxix. & πρῶτα ibi  
Ψεύδη.

XXI.  
De pro-  
missione  
Vitæ eter-  
næ, in Fa-  
dere Na-  
ture.

I. An Primus Homo, secundum Fædus  
Naturæ seu Operum, habuerit promissio-  
nem non solum Vitæ terrestris & animalis,  
sed etiam Vitæ eterne & coelestis, cuius si-  
gna Arbor vite, & ipse Paradisus? Qualis  
& promissa sub Oeconomiâ Legis, Lev.  
xviii. 18. Matth. xix. 16. Job. v. 39. Et qua-  
lem vitam Christus restituit suâ Morte, no-  
bis promeruit ac promisit in Evangelio;  
qualis & futura est respectu totius Hominis,  
post beatam Resurrectionem? Eademque  
opposita maledictioni seu eterne morti, quam  
Deus ut transgressoribus Legis, Deut. xxvii.  
Gal. i. iii. sic quoque Adamo fuerit inter-  
minatus,

minatus, Gen. i l. 17. ? Negant Curcell. Remonstr. Affirm. Orthod.

**PROTA** Φεύδη sunt ; negatum *Fædus Naturæ*, seu Operum, cum Adamo i. cuius infractio universalis confirmata Paulo, Rom. v. 12. i. Cor. xv. 22. Hinc neganda e-iusdem Adami *Immortalitas* & hujus Sacra-mentaloris *repræsentatio*; tūm & neganda *im-puratio Peccati* i. omnibus Adami posteris, mox *Contr. xxiv.* Neque hic tantum *Scopus* est Remonstrant. sed & præcipius, ut ad- struant *promissiones* sub Evangelio, *substanzia* diversas esse a *promissionibus* Vet. Test. Nec sub Oeconomia Legali obtinuisse *Fæ-dus Gratiae* seu *Evangelicum*, scil. quoad rem & substantiam. Quā de re vide Con- trov. *Anti-Socin.* xxxiv. xxxv. xxxvi. &c.

## De Statu Hominis Destituto.

I. An *Peccatum primi Hominis*, posito Dei  
Decreto seu τῆς πισμένης Βάλη, vel τῆς εὐδο-  
κία, illud permittendi, seu non impediendi,  
cūm posset, hinc & redimendi homines  
à peccato & morte, per Christi sanguinem,  
*Luc. xxii. 22. Act. ii. 13. iv. 28. 29.* Positā  
quoque Dei *præsentiā* infallibili, quam  
non inficiantur : Positō etiam necessariō  
Dei influxu ad omnem actum Creaturæ,  
quā *alitus vel morio* est; Denique positā ne-  
gatione

*Defutatio  
&  
necessari  
te Peccati  
Primit*

gatione gratiæ quæ hominem ( secundùm Dei permissionem tentatum à Serpente, ut Gen. iii. ) confirmare potuisset à lapsu; An (inquam) illud Peccatum fuerit *necessarium*, non quidem necessitate *absolutâ* & *consequentis*, aut destructivâ libertatis in agendo, sed tamen *hypotheticâ* ( quam vocant ) & *consequentialē*, ratione certæ futuritionis, & certi eventūs ; nisi incerta fuerit omnis *Oeconomia nostræ salutis?* Et an hinc Deus, quem consideramus in hac omni *Oeconomia* ut primum independens, liberrimum, ac sapientissimum, sic & sanctissimum Agens, constituatur (juxta Reformatos) *auctor*, vel *causa* cùm efficiens Peccati, tūm intrinsecè cogens vel necessitans ad peccandum? Negant *Prius Remonstr.* *Affirm.*  
*Post. Concrà Orth.*

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη eadem quæ suprà ad *Controv. xvii. xviii.* Et *Decreti* illius permisi, seu voluntatis in Deo non impediendi illud Peccatum (posita Dei Lege, & Tentatione Gen. iii.) falsus ac calumniosus conceptus; æque ad *necessitatis*, illius quæ (secundùm nos) ex eo Decreto fluit. Posita etiam hoc modo, ab imprudentibus *Adversariis*, *incertudo* ut *Peccati*, sic *remedii* contrà Peccatum, adeoque & *adventus* Christi in *Carne*. Quasi etiam Deus *nesciverit* futurum Peccatum! Aut si *prescrivit*,

nec

nec illud tamen *impedivit*, non sequatur  
hoc ipso voluisse *permittere*, idque ob præ-  
stítutos à se *fines*, sapientissimos sanè &  
gloriosos sibi!

II. An per lapsum voluntarium primi  
Hominis, in pœnam illius, *amissa fuerit ea* XXIIIB.  
*De amis-  
sione Imag-  
inis divi-  
nae, ex le-  
gue psu.*  
*pars imaginis* divinæ homini concreata, quæ  
confitebat in bono *Moralis Gen. 1. 27. 31.* & in  
viribus Liberi arbitrii ad bonum *Salutare*, *psu.*  
ac potentia *obediendi* Dei mandatis, & se in  
gratiâ conservandi, quæ *Corruptio seu la-  
bes Originalis dici solet, Gen. v 1. 5. VIII. 21.*  
*Job. x 4. &c.* Licet remanserit pars  
aliqua *Imaginis divinæ*, quæ confitit in  
bono humanæ *Mentis physico, Gen. ix. 6. Jac.*  
*III. 9.* & in reliquiis Virium ad bonum mo-  
rale externum, civile, honestum, ut supra  
ad *Artic. III. Arminian.* ? An verò *amisso*  
omnis illa divinæ *Imaginis*, sit merum com-  
mentum, æquè ac ipsa *Justitia Originalis*?  
*Prins Negant, Post. Affirm. Remonstr. Cur-*  
cell. &c. *Contrà Orth.*

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη, videsis ad Controv.  
*Anti-Socin. XXVIII. XXIX. XXX. & XXXIII.*  
Item *Arminian. super Articulo III. & IV. Sco-*  
*pus, assertio virium Lib. Arbitrii ad creden-*  
*dum Evangelio, & ad præstandam obedientiam*  
*in Novo Fœdere exactam: Quam scilicet*  
*gratiam non amiserimus in Adamo, ut quæ*  
*ne in ipso quidem fuerit (sic illi) antè La-*  
E 2 psum

psum; qui tamen fuit instruētus eā facultate, quā potuit obediēre omni Dei Verbo, atque mandato, hinc & mandato credendi Evangel. si tale dari potuisset in statu Innocentia.

**XXIV.** *An Peccatum Originis, quo sensu à Theologis appellatur, seu Peccatum primum quatenus nostrum quoque est, per imputationem, & quæ inde in omnes propagatur Corruptio, seu labes, seu concupiscentia originalis, non sit verè & propriè dictum peccatum, cui pœna intimatae Adamo Mortis ac Maledictionis debeatur? Sed tantum ita dicatur impropriè & metonymicè, ut sanè pœna quædam est Peccati Primi, propter quod sunt omnes Adami posteri Naturali moriendi necessitatì obnoxii, nascituri etiam inde minus puri, seu cum naturali quædam propensione ad malum seu peccatum, sed involuntarià, quia nativitatis lege? An adeò Reformatorum (Contra-Remonstrantium) doctrina, tūm de Corruptione seu labo originali vel hæreditariâ, in omnibus & singulis hominibus ortâ ex Peccato Primo; tūm de hujus Imputatione immediatâ seu (ut alii dicunt) antecedente, ad reatum Mortis, etiam aeternæ, tanquam Peccati, quod fuerit totius Naturæ humanae, ob communionem omnium Hominum cum Adamo primo, tūm naturalem ex quo scilicet nasci-*

nascituri, tūm *moralement* in quo repræsentati  
*Rom.* v. 12. 18. &c. vi. 23. 1. *Cor.* xx. 22. An (in-  
 quam) sit planè ea doctrina ἀγραφός, &  
 αντίγραφός? Affirmant utrumque Remon-  
 strant. prolixè Curc. & Recent. Contr. Or-  
 thod.

**PROPERTA** Ψεύδη de Corruptione Originali,  
 deque ejus naturā, & effectis, prolixè su-  
 prā Controv. *Anti-Socin.* xxviii. xxx. xxxiii.  
 & *Anti-Armin.* i. i. de Viribus L. Arbitrii in  
 statu Peccati. Ac lis jam ferè de nomine,  
 quum fateantur in omnibus hominibus na-  
 tivam propensionem ad peccandum, ortam per  
 modum pœnae ex conditione Adami lapsi.  
 Vide & *Controv.* præced. xxii. de Amisione  
 Imag. divinæ. Sic πρῶτον Ψεύδη nus-  
 quam in Script. S. vocari Peccatum, quod  
 nos dicimus *Originis*, contra loca *Psal. 1. 7.*  
*Rom. 5. 12. 19. VII. 20. Hebr. XII. 1.* & ubi idem  
 naturalis malitia, *Rom. VI. 5. immundicies Job.*  
*XIV. 5. concupiscentia Rom. VII. 7. mors in pec-*  
*catis Eph. II. 5. Col. II. 13. servitus peccati,*  
*Job. VIII. 34. Caro morali sensu, Job. III. 6.*  
*Rom. VII. 14. &c. Lex peccati membrorum,*  
*Rom. VII. 23. cor præputiatum, Deut. X. 16.*  
*Col. II. II. &c. corpus peccati Rom. VI. 6. πώρω-*  
*τις nativa cordis, Eph. IV. 18. Vetus homo, ra-*  
*tione originis, & corruptionis, Eph. IV. 22.*  
 &c. Adde πρῶτα Ψεύδη reliqua: Ex. gr.  
 quasi pugnaret esse peccatum resp. Hominis,

& pœnam peccati resp. Judicij divini, nœt  
āmō, sexcentis rei exemplis; multis quo-  
que hanc rem agente Augustino, contra  
Julianum Pelagianum: Item, quasi nihil  
habeat rationem peccati, nisi quod admittit  
ur à sciente, & volente; quō ipsō non tan-  
tum peccatum in quo nascimur, sed & pec-  
cata ignorantie, inadvertentie, occulta, ha-  
bitualia, motus cœtrantes, etiam illud Pauli  
*Rom. vii. 19.* expungi necesse est: Item,  
quasi quod ex proximis parentibus imme-  
diatè est, non sit mediatè & remotè ex Ada-  
mo, &c.

Sic negatæ *Imputationis* Peccati primi,  
quā nascimur omnes ut mali sic miseri, πρω-  
τα ψεύδη sunt benè multa: Ex. gr. Ada-  
mum non sustinuisse personam & suam, &  
posteriorum, qualiter sustinet Feudarius;  
qualiter decimatus Abraham sustinuit quo-  
que personam Levi, *Hebr. vii. 9.* aut qualiter  
secundus Adamus sustinuit personam  
omnium, qui cum ipso mortui, *Rom. v. vi.*  
*2. Cor. v.* &c. Hinc illi, peccatum Adami  
fuisse merè personale, sanè actu physico,  
non tamen morali vel ex Paulo; uti *mors*  
Christi personalis censenda: Item, ex *re-  
missione factâ Adamo*, *Gen. III. 15.* sequi uni-  
versaliter *remissum omnibus Adami poste-  
ris*, contrâ vim loci, & tot alia, *Rom. v. 12.*  
*Eph. II. 3. 1. Cor. XV. 22.* &c. Item, si illud ē φ' ὁ  
*Rom.*

CONTROV. CUM ARMIN. &c.

Rom. v. 12. reddatur in sensu causalí, *cō*  
*quod* omnes peccárunt, minús agi de peccato  
illo quod per *unum hominem* introit, ex quo  
mors, &c. Item, huc facere locum Ezech.  
xviii, 20. ubi de peccatis merè personalibus  
hominum nequam, causantium se puniri  
*innocuos*, reos fuisse *patres*, vers. 2. 3. &c.  
Mittimus reliqua id genus, hæc sint speci-  
minis ioco. Vide & de *Morte eternâ*, & de  
Peccato, Controv. *Anti-Socin.* xxix. xxxi.  
xxxii..

Scopus Remonstrantium, assertio  
rursum Lib. Arbitrii, de quo ad Artic. III.  
Et Fœderis Gratiae universalis, ac salutis ex-  
træ fidem Christi; Quâ de re *Controversia* su-  
periores, iv. xx.

De impotentiâ Lib. Arbitrii, ad Deum,  
recte cognoscendum, & colendum, redit  
Controversia circâ Articulum Remonstran-  
tium III. & superiores modò *Contr.* xxiii.  
xxiv. De Peccatis *actualibus*, redit Contro-  
versia *Anti-Socin.* xxxi. Ac singularum  
πρώτα Φεύδη ibi summatim expressa, ut si-  
nit hujus Introductionis modus.

De Fœdere Gratiae, ejusque Oe-  
conomia.

De Universalitate Fœderis Gratiae, redit  
E 4 Centro-

*Controversia Anti-Pont.* xv. Et in eâ fundatâ plerque *Hypotheses* Remonstrantium, de Prædestinat. Morte Christi universali, Viribus Lib. Arbitrii, &c. suprà pluribus excusâ, ad *Articulos I. II. III. IV.*

De *Naturali Religione* ab Adamo usque ad Mosem, redit *Controv. Anti-Socin.* xxxiv. & suprà *Anti-Remonstrant.* IV. mox xxv. Quas vide, earumque *Prætatae* *ψεύδη*.

De *Promissionibus* factis Patribus, an *Spirituales* & *Cœlestes*, redit *Controvers. Anti-Socin.* xxxiv. Vide & suprà cum Remonstr. *Controv.* xxi. Ubi rursùm *Prætatae* *ψεύδη*, & *Scopus singularium*, prout moventur ab *Adversariis*.

De *Additione* novorum *Præceptorum* per Christum ad Legem Mosis, hujusve *Perfectionem*, redeunt *Controv. Sociniana* xxxvi. xxxvii. xxxviii. xxxix. Ubi fusè & Status, & Falsæ *Hypotheses*. Hincliquet, quo iure in Sarmatarum castra secessisse, vel in causam eorum inclinare, censeantur harum *Controversiarum*, in Remonstrantium ordine, auctores. Quod & sequentia docent.

XXV.  
De Fide in  
Christum;  
ante Oecumeniam  
Evangelio

I. An *Fides Salvifica* in Christum Servatorem requiratur tantum sub *Evangelio*, postquam Christus in Carne apparuit, ac promulgavit sua *præcepta* & *promissa*? Ut Fides illa quâ placuerunt Deo Patres, *ante* & *post*

post Mosem, præcipuè ex Paulo *Hebr. xi.* & fideles omnes usque ad tempus Evangelii prædicati, non fuerit fides in Christum, seu in *Messiam vel Redemptorem venturum*; Sed fides in *Deum Creatorem*, cum serio proposito vivendi secundùm Voluntatem Dei, vel in lumine *Nature*, vel in Lege oretenuis latâ, vel etiam in Lege scriptâ patefactam, sub spe certâ remunerationis, & æternæ quidem, secundùm opera expectandæ, vel ex loco *Hebr. xi. 6.* *Affirm.* utrumque Episc. Curc. &c. Negant Orthod.

VIDE suprà *Controv.* cum Remonstrantibus *IV.* cum quâ hæc planè coincidit. *Scapus* rursùm, assertio dogmatis *Pelagiani*, *Justificationis per opera*, & salutis etiam extra Christum; Neque hunc fuisse *Mediatorem* sub *V. T.* nec *Fœdus* cum Patribus initum idem substantiâ cum *Novo esse*, &c. Quibus de *Controv.* suprà, in *Anti-Socin.* *XXXIV.* *XXXV.* *XXXVI.* *LV.* & seq.

## *De Christi Mediatoris Personâ & Officio.*

I. An Christus sit & vocetur *Dei Filius*, *XXVI.*  
principaliter ut *Homo est*, vel secundùm *De modis*  
*Naturam Humanam tantum*, & istud *quibus*  
quatuor modis, i. Ratione *Conceptionis ex Spi-* *Christus*  
*ritu Dei.* *est Filius*

ritu S. relatis huc verbis, *Lue.* I. 35. cujus Conceptionis nomine, Deus etiam dicatur *Pater* Jesu Christi. 2. Ratione *Muneris*, secundum quod in Regem Israelis, & Messiam unicum, à Deo constitutus est, *Ps.* II. 7. *Job.* I. 46. 50. VI. 69. *Matth.* XVI. 16. XXVI. 63. *Act.* VIII. 37. &c. hoc ipso ab aliis omnibus separatus. 3. Ratione fuscitationis à Patre *ex mortuis*, quâ velut ex utero terræ genitus est, *Act.* XIII. 33. 34. 4. Ratione *hæreditatis acceptæ* in domo Patris sui, & *dominii* in omnes creaturas, ut illi etiam subiecti sint Angeli, tanquam hæredi & Filio unico, *Hebr.* I. 3. 4. 5.

Et an altera illa ratio hujus appellationis, *Filius Dei*, quatenus *genitus* est à *Patre* antè Secula modò ineffabili, hinc Unigenitus Patris ὁ Λόγος subsistens in Deo, & apud Deum, Deus ipse, antè Mundum conditum, & antequam Caro fieret, *Ps.* II. *Prov.* VIII. *Job.* I. *Hebr.* I. I. *Job.* V. 20. &c. an ea non sit de mente Spiritus S. nec Articulus creditu necessarius? Affirm. utrumque Remonstr. Contrà Orrhod.

**S C O P U S**, neganda per cuniculos æterna Christi *Divinitas*, & *identitas* seu *ἴσοτης* *Naturæ* cum Deo Patre; hinc & ejus *Unio personalis* cum Carne assumptâ. Adhac *Syncretismi* universalis, & *tolerantiae* *Socianæ* jactum ita fundamentum. Πρώτα Φεύδη

Ueud̄ coincidunt cum Socinianorum illis, quantum ad priora, ad Controv. Socin. xx. xxi. xxii. & xl. Quantum ad caput de Tolerantia, cum Controv. Anti-Socin. vi. vii. Qui verò ex Remonstrant. fatentur Personam Christi esse Filium Dei, etiam respectu Naturæ Divinæ, & Filiationis aeternæ, ut nuper Vir Doctus, mirum negare vel hanc causam appellationis Filiū Dei, vel eandem esse objectum fidei Christianæ. Et si aliis Script. locis ista docetur, ex confessis, quā credibile est Messiam vel Christum nunquam, vocari Dei Filium, seu in V. seu in N. T. cum respectu quoque ad eam generationem à Patre, secundum quam Deus est, & unum cum Patre?

Quantum ad loca allegata, pro ratione hujus prædicati, quod Jesus fit *Filius Dei*, id est, *Messias*, &c. quod solum eā appellatione intellexerint Judæi, (sanè posteriores) petitur principium, nihil ultrā dici, Ps. II. Hebr. I. Matth. XVI. Job. VI. 1. Job. v. &c. Ubi non tantum dicitur *Filius Dei*, sed ideo quia *genitus*, modò incomunicabili Angelis; hinc *Filius verus, proprius*; *Filius ille έξοχως*; *Filius Dei viventis*, cui dedit Pater vitam, &c. Job. v. 26. quā talis distinctus à *Filio hominis*, Job. v. 27. Et quia *Filius*, hoc ipso unicè dilectus, hæres omnium, Rex super Sione, Sacerdos in aeternum, Christus Domi-

Dominus, evehendus ad dextram Patris, non detinendus à morte, adorandus *sicut adoratur Pater*, Job. v. 23. Hebr. I. 6. ejusdem cum eo potentiae, voluntatis, operationis, Job. v. 19. 21. cognoscendus etiam talis ex conceptione ex Sp. S. Luc. I. 35. Unde idem Judæis fuit, esse *Filiū Dei εξόχως*, & *Ιων Θεῶν* Job. v. 18. x. 33. 36. Sed hæc fusius alias demonstrantur.

**XXVII.**  
De modo  
quo Chri-  
stus est Sal-  
vator no-  
ster, &  
Sponsor.

II. An Christus non sit nec vocetur *Sal-  
vator*, seu Redemptor noster, per quem  
unum *salus* est, & quidem à peccatis Matth.  
I. 21. Act. IV. 12. &c. quod propriè Deo Pa-  
tri satisfecerit, pœnas omnibus peccatis de-  
bitas persolvendo, secundùm Justitiae divi-  
nae rigorem, qui *Satisfactionis* modus fit  
*Scripturæ incognitus*; Utinæc fuerit *Spon-  
sor* noster, aut *Sponsor* vel *Mediator Fæderis*  
gratuiti, quod debitum nostrum seu pec-  
cata *in se suscepit*, quæ *Morte interveniente*  
*expiaret*, Hebr. VII. VIII. IX. &c. quia sponsio  
locum tantum habeat in debitis pecunia-  
riis? Verum ideo *Salvator* sit, quod in pri-  
mis merito suæ obedientiae, cruciatuum, &  
sacrificii sui corporis, *impetravit sibi omnem*  
*potestatem* in cœlo & in terrâ, secundùm  
quam nos *liberat* à reatu & dominio pecca-  
ti, ac suos immortalitate donaturis est ali-  
quando; in quo consistat peccati *expiatio*?  
*Quemadmodum* dicatur *Sponsor*, quod  
doctrinâ

doctrinâ suâ & operibus nos certos reddidit de bonitate & fidelitate sui Patris; qui neminem perire velit, ob peccata antè vocationem ad Evangelium commissa; cuius etiam certitudinis luculentissimum in suâ Exaltatione dedit exemplum? Negant Prius, Affirm. Post dicti Remonstr.

ΠΡΩΤΟΝ Λεύδος, incrustatus Socinimus, & non agnita neque *Justitia* Dei peccati vindex, neque *Satisfactio* illi præstanta, neque natura *Sponsionis* seu suscepiti in se reatûs, &c. Quare redeunt Controv. *Anti-Sociniana*, diligenter enarratæ, & singularem πρώτα Λεύδη, *Contr. xli.* de ratione Mediationis; *xliv.* de ratione Sacerdotii Christi; *lxv.* de fine Passionum, Mortis; *lv.* de fundamento nostræ Justificationis, &c.

Misera etiam Crisis 1. Ad vocem Σωτῆρος, quæ dicit salutis ἀρχηγόν, αἵτιον, *Hebr. II. v.* causam ejus decernentem acquirerentem suo sang. applicantem, ut fusè alias. 2. Ad vocem Εγγὺς, qui & in judicio dicitur ὁ ἀναδεχόμενος τὸ δίκην, ὁ ἐγγυητής, qui se ipsum pro reo substituit, qui spondet λύτρον, δίκην, τιμὴν quæ etiam locum habet in maleficiis, unde τιμώρια, &c. Hinc Reus ipse, *Expromissor*, Goël, *Redemptor*, *Vas*, qui pœnam pro aliis subit, unde ἐγγύη est inavocatio, & ἐγγυᾶς vadare, vadimo-

vadimonium promittere, quoad actum fitendi fese in judicio: Ità *Sponsor Fæderis*, quia sponte intervenit ut talis in *Fædere Gratiaz*, receptâ in se obligatione, vel reatu, vel debitis suorum, id est offensis, *Esaï.* **LIII.** &c. Esse tamen in Remonstrant. qui de *vocibus* litigant, sed *rem Satisfactio-*  
*nis* non negant, visum suprà p. 243. Undè nec in *Articulis* v. Controversis est. Supponitur etiam *Gratia universalis*, & sola peccata in *Evangelium* damnare.

De *Præparatione ad Munus Propheticum*; de *Tempore* inchoati à Christo *Muneris*; deque ratione formalí *Sacerdotii Christi*, redeunt ferè, ex doctrinâ *Episcopii* & *Curcellæi*, *Controversie Anti-Socin.* **XLII.** **XLIII.** **XLIV.** Quarum πρωτα Φεύδη ibi prolixè habes, hic verò consensum illorum, in Remonstrantibus, qui amant Σοκονίζειν.

**XXVIII.** III. An omnino in Scripturâ S. revelatum sit, Christum in diebus carnis suæ, respectu Naturæ Humanæ, fuisse *impeccabilem*, seu non potuisse peccare; intuitu ejus cum Personæ, & perfectionis, ex continuo influxu Gratiaz in Humanitat. Λόγῳ unitam *Joh.* **III.** **34.** *Hebr.* **IV.** **15.** **2.** *Cor.* **v.** **21.** *I. Joh.* **III.** **5.** &c. tūm Officii Mediatorii, undè illud πρέποντος seu ἀναγνεσον, *Matth.* **III.** **15.** *Hebr.* **VII.** **26.** Ità, Christum non potuisse non obedire mandato sui Patris, de redimendo

mendo genere humano, obedientiâ cùm  
vita, tûm mortis, *Luc. xxiv. 26. 46. Phil. 11.*  
*7. 8. 2. Cor. v. 21. &c.*? An contrâ, nusquam  
id Scriptura tradat, imò contrarium tradat,  
memoratis Christi Tentationibus, *Matth.*  
*IV. Hebr. 11. 18. IV. 15.* & ultimâ agoniâ,  
quando petuit *transire calicem*, & *opus fuit e-*  
*undem ab Angelo corroborari*? Tollant-  
que, qui prius affirmant, in Christi obedientiâ  
rationem meriti, secundum quod præ-  
mium meruit, voluntariâ obedientiâ, dûm  
potuisset non obedire? *Affirm. Post. Episc.*  
*Remonstr. Prior. Orthod.*

SCOPUS est, tueri facultatem ac vires Ar-  
bitrii humani, ad obediendum Deo, vo-  
canti ad fidem & resipiscientiam: Item,,  
tueri modum Vocationis seu operationis  
Gratiæ resistibilem. Alias pæne non posse  
obligari, si non posuit obedire Deo vocan-  
ti; nec ejus censeri posse obedientiam, cui  
detur remuneratio, si non potuit non obedire,  
per modum vocationis *irresistibilis*. Hinc  
negandum illis quoque erat, Christum,  
necessariò obedientem fuisse suo Patri, seu  
non potuisse *non obedire*, &c.

ΠΡΩΤΟΝ Ψεῦδος, Episcopii, & se-  
quacium est: Pugnare eam in Christo *ava-*  
*μαρτησίας*, obsequium vita & mortis, ita  
pugnare omnem necessitatem seu peccandi in  
irregenitis, seu credendi in efficaciter vo-  
lunta-

luntatis ad unum, scil. ad obsequium vitæ  
 & mortis, ita pugnare omnem necessitatem  
 seu peccandi in irregenitis, seu credendi in  
 efficaciter vocatis, cum Arbitrii libertate,  
 ut definit esse actus voluntarius. Unde hæc  
 nata Episcopio fuit cum Camerone dispu-  
 tatio. Pessima utique illatio! Christus liber-  
 è fuit obediens suo Patri, E. potuit non obe-  
 dire; Spontè mortem pro nobis subiit, unde  
 dictus Sponsor, E. poterat Homo factus  
 non subire eam mortem, &c. Quasi verò  
 libertatis ratio consistat simpliciter in *ā dīc-*  
*Popia*, quod falsum esse vel exemplo Dei  
 Angelorum, Beatorum, etiam Dæmonum  
 à Theologis demonstratur, ac Christi ex-  
 ad hoc nati ut moreretur. Ità ex *necessitate*  
 actus, de quo quæstio est, pessimè infe-  
 runt coactionem, &c. quâ de re satis ad *Artic.*  
 IV. Sic πρῶτον Φεῦδος, tacere Script. S.  
 eam necessitatem obedientiæ in Christo, con-  
 trà loca in Statu Controv. Origo etiam à  
 Scholasticis, curiosè disceptantibus, an non  
 potuisse Christus peccare, etiam *Humana ejus*  
*Natura unita Verbo?* Qui liberum arbitrium  
 habuit, & ità potuit flecti in utramque partem  
 &c. Qua de re adi Lombardum, & Sen-  
 tentiarios, ad III. Sentent. Dist. XII. Pes-  
 sima etiam illatio à tentationibus Christi,  
 (quæ fuere omnes à principio extrinseco, su-  
 perata omnes, exque nostri causâ, & sine  
 peccato)

peccato admixto ) ad Christi peccabilitatem.  
 Nec illud, Pater, si possibile, &c. Matth. xxvi. 39.  
 dicit, Christum aut voluisse, aut potuisse non  
 mori, aut revera illud petuisse, ut transiret Ca-  
 lix. Imò contrarium patet ex verbis. I.  
 Transeat, si possibile, peterem, ut transiret, si  
 possibile foret; sed sciebat Christus, non pos-  
 sibile esse, nec ratione ὡρισ μόνης Βαλῆς, nec  
 ratione Officii sui. 2. Sed non ut ego volo, &c. ut  
 ego vellem, affectu meæ Carnis naturali,  
 quem absolutâ voluntate submitto tuæ vo-  
 luntati. Nec Scopus alias Christi, quām o-  
 stendere gravitatem, cùm ira Divinæ &  
 maledictionis, quam tulit Gal. III. 13, tūm suæ  
 passionis. Quæ nos obiter, in Controv. non  
 semper obvia.

## De Christi Ecclesia

I. An qui ante Evangelium vixerunt Pa- XXIX.  
 tres, propriè ad Ecclesiam Christi non perti- De memo-  
 neant, quatenus hæc primò per Christum bris Eccle-  
 hominem colligi coepit, qui primus præco sia Christi  
 Evangelii fuerit, Hebr. 11. 3. Nec primus  
 tantum quoad modum revelationis, ἐντάπ-  
 ρως & immediate Heb. 1. 1. &c quoad gradum  
 lucis Evangelicæ, Job. 1. 18. 2. Tim. 1. 10. Rom.  
 XVI. 26. sed & quoad rem revelatam; scil. Ev-  
 angelio olim quidem promiso, at nondum  
 revelato; imò hoc sehus tacito, Rom. XVI. 25.

F

Hebr.

*Hebr. ix. 8.*? Quemadmodum nec censendi  
sint pertinere ad Ecclesiam Christi triumphan-  
tem, sancti vel electi, Angeli, sub uno Capite  
Hominum & Angelorum Christo? Scatunt  
ita Remonstr. Curcell. &c. Contrà Or-  
thod.

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη, & Scopus idem cum So-  
cinianis, ut ad *Controv. xxxiv.* de Fœdere  
Gratiæ sub V. T. Ad *xxxv.* de ejus Oecono-  
mia sub Sacrificior. & Umbrarum involu-  
cris; Ad *xliii.* de Christo Prophetâ jam  
in V. Test. Ad *xlvi.* de Christo jam tūm  
Ecclesiæ suæ Rege; ad *lxix.* de triumpho  
Animarum separatarum, &c. Adde πρώτω  
Ψεύδη horum Remonstrant. jam ad *Contr.*  
*iv.* de Fide Patrum, & *xxv.* de quā ibi vide.  
Undē 1. Ομωνυμία in voce *Ecclesiæ Christi*,  
quæ eum vel expectavit venturum, vel am-  
pletebitur exhibitum. 2. Ομωνυμία in voce  
*Evangelii*, ut dicitur etiam de ἐπαγγέλιο,  
προεπαγγέλιο, ut fuit, κήρυγμα de Christo.  
*Hebr. iv. 2.* &c. Vel ut opponitur *promissionis*  
*Evangelium de Christo*, & à Christo, ipso præ-  
dicatum. 3. Dissimulata loca, quæ sic *promis-*  
*sad* dicunt bona *Evangelii*, ut simul *revelatio*  
*annunciata*, Scripturis Prophet. *Rom. i. 3.*  
*x. 16. Hebr. IV. 2.* &c. etiam *fide* apprehensa,  
*Job. viii. Luc. x. Rom. iv. x. Act. xv. Hebr. xi.*  
etiam *collata* ratione *fructus*, ratione *remis-*  
*sionis* peccator. *Rom. iii. IV. Hebr. ix. ado-*  
*ptionis,*

ptionis, sanctificationis, μιθαποδοσίας, κλη-  
πονίας, &c. Sic dissimulata de *Angela Pau-*  
*lina loca Eph. I. 10. Col. I. 20. Hebr. I. 14. XII.*  
24. &c. Quæ verò agunt de singulari modo  
revelationis sub N. T. de novo gradu Pav-  
pō Ḡew̄s, novo ministerio, novâ Fœderis Oe-  
conomia, novâ via ad sacrarium, novis pro-  
missis bonis, id est merè spiritualibus, ut &  
de promissionum atq; umbrarum τελειώσι,  
de extensione ad plures, scil. ad Gentes, &c.  
alibi suis locis vindicantur.

V. An Notæ Ecclesiæ visibilis ut talis, quas  
traduut Reformati ( prout in statu Controv.  
*Anti-Socin. li. & Anti-Anab. xxi.* ) pura scili-  
cet Verbi prædicatio, aut ex Verbo Dei in-  
structio, & Sacramentorum legitima admi-  
nistratio, sint Notæ spuriae & fallaces ? Redire  
enim questionem, ubinam Verbum Dei  
purè prædicetur ? Et posse quoque esse Eccle-  
siam, ubi non est hujusmodi pura prædica-  
tio ; ac contrà, posse non esse Ecclesiam, ubi ta-  
men pura est Verbi prædicatio ; Atque adeo :  
an omnes Ecclesiæ, quantumvis illæ in diver-  
sissimis Sectis, modò in iis vigeat studium  
Honorum operum, & retineantur Capita de  
quibus inter omnes Christianos consensio est  
possint esse Ecclesiæ Jesu Christi ? *Affirm.*  
*Remonstr.* Negant Orthod.

Vide πρώτα Λεύδη sufficenter notata,  
adversus *Anabapt.* Controv. xxi. cum primis  
F. 2. *Socinian.*

XXX.  
De Notis  
Ecclesiæ  
Visibilis &  
quanam  
possint  
esse Verba  
Ecclesiæ  
Christi.

*Socinianos*, ad Controv. v. vi. vii. & li. quæ hic planè redeunt. Falsissimæ hinc hypotheses, non posse sciri, ubi Verbum Dei purè, quoad substantiam credendorum & faciendorum, prædicetur, secundum Scripturas Evangelicas & Apostolicas: Satis que esse ad constitutionem Ecclesiæ, studere bonis operibus, & ea profiteri, quæ omnes Señæ. Oppositio etiam facta inter esse medium colligendæ Ecclesiæ, qualis est pura prædicatio Verbi, Matth. XVI. 18. Rom. X. 14. Epb. IV. ii. v. &c. & esse simul ejus Ecclesia notam distinctivam, quæ sunt conjugenda Scopus, tolerantia omnium Religionum, cum primis etiam Socinianæ, ut suprà p. 261. 262. Item Fundamentalia Capita reducere cum Socin. ad sola ea, quæ formaliter prædicta; Etiam libertatem prophetandi introduce re, de quâ suprà Controv. cum Remonstr. v.

## De Vocatione efficaci, & Fidei.

I. An *vocatio* ad salutem, non detur tantum *verbalis*, per præconium Legis & Evangelii, quomodo specialiter vocati Patres & omnes quibus Christus prædicatur; verum etiam detur *realis*, eaque generali & communis, per opera Creationis & Providence, quæ Deus omnibus hominibus spestanda præbet, Act. XIV. 17. Rom. I. i. 4. ac per Legem Naturæ in Mentibus seu conscientiis.

XXXI.  
De voca-  
tione na-  
turale per  
opera Cre-  
ationis &  
Providence.

scientiis scriptam; ut eā ratione adduci possint, aut etiam verē adducti fuerint ad Deum ritē cognoscendum, amandum, & colendum? Et hæc vocatio quantumvis obscurior & imperfectior, sit tamen sufficiens, ut per eam homines ad Deum adduci, maijore *gratia* donari, & salutis æternæ compotes fieri possint? *Affirm.* Remonstr. &c. *Negant.* Orth.

**S**COPUS est, tueri *Fædus Gratia* universale, & universalem *Redemptionem* per Christum, undē sequatur necessariō universali *Vocatio*, ne prior gratia sic illusoria. *Scopus* etiam, tueri *liberum arbitrinm*, & gratiam *sufficientem* in omnibus, quā se posint disponere ad salutem. De quibus prolixē suprà. ΠΡΩΤΑ ψεύδη: Confusæ diversissimæ vocationes, illa ad cognitionem Dei *Creatoris*, Auctoris vitæ, omniumque in homines beneficiorum & altera ad cognitionem Christi *Redemptoris*; Sic confusa Dei χριστότης, αὐτοχή, μακροθυμία, & Dei *gratia*, ac misericordia in Christo; illius φαρεψώ<sup>της</sup>, Rom. i. 19. in operibus *Creationis*, & hujus Δημοκαλυψώ<sup>της</sup>, aut si vis etiam φαρεψώ<sup>της</sup> Rom. xvi. 26. 2. Tim. i. 10. in Scripturis Propheticis & Euangelicis; Prior *natura* opus, hæc *gratia*, illa ducens ad τὸ γγωνὸν τῆς Θεᾶς, à quo omnia βιωτικὰ, & temporalia bona, Act. xiv. 17. &c. hæc ducens ad τὸ πιστὸν, quod credendum in Evangelio proponitur,

& ad bona πνευματικὰ ἐπεράνια. Sic aliud Lex naturae, quæ docuit Gentiles facienda & omittenda, & quæ sociata argumentis externis divinæ χρησότητος, ex se ducebat (seu invitabat) ad officium commune metravias, id est, abstinentiam à flagitiis enumeratis Rom. i. & ad vitam instituendam secundum dictamen illius Legis; Aliud vero Lex fidei, quæ sub conditione fidei in Messiam, Dei Verbo promissum, vel exhibitum; & obedientiam internam ac spiritualis, invitat ad beneficium speciale salutis æternæ, per Redemptionem Christi, conferendam electis naturæ προγνωστικæ, vocatis natæ τρόποθεσι, &c. Neque sanè exactio debiti, quale est omnium hominum, confundi debet cum ostensione Sponsoris, qui illud in se suscepit, facta per Verbum Evangelii: Sic falso supponitur hæc *vocatio naturalis, communis, esse sufficiens*, aut fuisse in *Gentilibus*, per quam adducerentur ad Christum, vel ad cognitionem Dei salutarem; Quod nec omnes Remonstrantes dixerint, nec Paulus sanè Act. xiv. 16, Rom. i. 19, 20, Eph. ii. 12, &c. Accedo, quinam in Gentilibus, solo eo naturali lumine, censiendi sunt compotes facti vita æterna, aut per rimulam apprehendisse Redemptorem! Nec hic locus est dissentandi de locis quibusdam Veterum; aut de verbis Zwinglii ad Franciscum i. Galliar. Regem, qui historicè supposuit, quosdam in

in Gentilibus *hinc fide migrasse*, &c. Cujus doctrinam orthodoxam prolixissimè in Tigrinis Clariss. Hottingerus, & alii, asseruerunt.

Il. An vocatio externa per *Verbum Evangelii*, reddatur efficax, producendo in nobis velle & perficere, fidem & resipiscenciam per vim aliquam internam & *hyperphysicam Spiritus S. seorsim* ab externâ prædicatione Verbi, & externis in eo ad credendum motivis, simul tamen cum iis; eandemque *immediatè*, sed & *speciarim* in his non in illis, operantem: Id est, *mentes naturâ cœcas* (quoad Spiritualia) illuminando, *volutates* flectendo, regenerandoque, ad salutarem Verbi apprehensionem, sexcentis Script. locis? An vero 1. Omnis *operatio Spiritus S.* in efficaci vocatione, non sit nisi mediata, & moralis, per efficaciam Evangeli, & vim rationum, ac motivorum quibus Mens nostra rationalis persuadetur, undè Verbum Dei vocetur *semen regenerationis*? 2. Èdem vocatione atque operacione *vocentur omnes à Deo*, per Verbum suum, uti èdem Dei intentione ac scopo sunt *omnes servandi*; Nec cuiquam externè vocatorum desit Gratia sufficiens, seu vires ad conversionem & obedientiam requisita?

*Affirm.* Remonstr. & qui cum iis sentiunt in hoc capite, *Neg.* Orth.

F 4

Sco-

XXXII.  
De Voca-  
tionis ex-  
terne per  
*Verbum*  
efficacia  
& suffici-  
entia.

**Scopus** Remonstrant. idem qui suprà;  
scil. assertio *Liberi Arbitrii, Gratiae Universalis,*  
*ac sufficientius, &c.*

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη etiam eadem quæ ad  
*Articulos III. & IV.*, antè expensos ; & quæ  
ad *Controversias*. xxiii. & xxiv. Confusæ adeò  
vocationes, *externa* per Verbum, imperans,  
suadens, invitans, offerens, inefficax sà-  
pè nimis; & *interna* per Spiritum S. ope-  
rans, persuadens, trahens, conferens, effi-  
cax semper. Quo de discrimine inter u-  
tramque *Vocationem*, distinctissimè suprà,  
pag. 255. 256. Hypothesis etiam Dei vocan-  
tis *finem* non alium esse, nisi *salutem omnium*,  
etiam reproborum; Nec alias dari pos-  
se *fines* horum respectu, serios illos, & ju-  
stos, & sapientissimos, ne vocatio eorum  
dem credatur *illusoria*. Latius enim patere  
*vocationem* externam quam patet *electio*,  
docet Christus, *Matth.* xx. 28. Nec vocan-  
tur reprobi nisi *ex accidente*, quia permixti  
*electis*, vocandis *κατὰ πρόθεσιν*, ex simili-  
bus *Areæ*, *Sagenæ*, *Convivii nuptialis*. *Fir-*  
*mes* etiam communes sunt, ostensio divini  
*juris* in exigendo officio; *convictio inter-*  
*na*; *externa coercitio*; *directio vitæ insti-*  
*tuendæ*; *Gratiæ* in creditibus major com-  
*mandatio*; *incredulorum ἀναπολογησία*,  
*Joh.* xv. 22, &c. Vide *Vindicias nostras Bi-*  
*blic.* ad *Locum Matth.* xi. 28. P. II. LO-  
CO

co vi. ubi & Arn. Poelenburgii quædam discussa.

De Fidei naturâ, quæ consistat in obedientiâ mandatorum Christi, redit Controv.  
Anti-Socin. LIII. P. 210, 211. Πρώτα Ψεύδη ibidem notata.

## De Justificatione Peccatoris coram Deo.

An doctrina Socinianorum de Justificatio- XXXIII.  
ne ex merâ Dei gratiâ, per & propter opus fi- De com-  
dei, seu propter obedientiam mandatorum paratione  
Christi, ut conditionem prærequisitam, quâ- sententie  
dam Dei Acceptilatione sensu Jurisconsultor. Socinia-  
citrâ ullam imputationem Justitiæ Serva- thodoxæ.  
toris (quam isti absurdam censem) sit lon- in nego-  
gè magis Orthodoxæ, quam est doctrina Pro- tio Justi-  
ficationis.  
restantium? Qui nempè solâ nos fide justifi-  
cari velint, absque coopératione Bonorum  
Operum, scilicet ut conditione præviâ, &  
causâ propter quam Deus nos velit justifi-  
cari?

Et an hæc Controversia, de modo nostræ  
Justificationis, sit ex genere non fundamenta-  
lium, in quibus salvâ fide & unione dis-  
sentire liceat? Affirm. Remonstr. Neg.  
Orth.

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη prioris asserti, sunt ea-  
dem cum illis Socinianæ gentis, & sententia

*Protestantium* paricūm istis invidiā in sensum absurdum detorquenda. Vide igitur *Controv. Anti-Socin.* XLV. de *Fine Mortis Christi*; LV. de *Fundamento nostrae Justificat.* LVIII. de *Conditione prærequisita antecedenter ad Justificat.* secundum *Adversarios.*

ΠΡΩΤΟΝ Λεῦδος asserti posterioris est, quasi *modus rei*, seu *modus Justificat.* hominis peccatoris coram Deo, posit in hac causā separari à re ipsā, seu à *substantia* hujus doctrinæ, quæ sanè in se *Fundamentalis* est. Quum totus sit Paulus in eo modo urgendo, in Epist. ad Roman. I. Causam omnem Justificationis decernentem, producentem, esse in *Deo*, unde *justitia Dei Rom. III. 21.* excellentior nostrā justitiā. 2. Προηγυμένην itidem, hinc δωρεάν, τῇ χάριτι, Rom. III. 24. adeoque χαρίς ἐργῶν, legē *oppositorum*, Rom. III. 28. IV. 4. XI. 6. 3. Meritoriam nostrā Justificat. in Christo esse, Rom. III. 24. 25. &c. hinc illud Phil. III. 9. 4. Causam meritoriam propter quam, ejus εὐτῷ αἵματι ἀπολυτράσθ, ιλασμών, θανάτου, &c. Unde Christus ιλαστήριον, in rei veritate, quod Propitiatorium in typō, alibi καταρτήσιον, σωτηριον. 5. Formam, consistere in omniū peccatorum παρέστ, αφέστ, ἀποκαλύψτ, quix & μὴ λογίζονται, &c. hinc in δικαιώσι peccatoris, in λογισμῷ δικαιωσύνης, Rom. III. 25.

IV. 3°

IV. 3. 4. 5. 6. 7. 8. &c. 6. *Instrumentum*, vel  
*modum quo justificamur esse fidem, fide, per*  
*fidem, non nisi per fidem, exclusivè ad opera,*  
*ad καυχησιν, Rom. III. IV. &c. non semel,*  
*Act. XIII. 38. Gal. II. 16. &c. 7. Objectum esse*  
*τοὺς πιστευοντας, & omnes, & solos Rom. III.*  
*22. &c. 8. Finem esse, ἐνδειξιν uti τῷ χάριτῷ,*  
*sic etiam τῆς δικαιοσύνης, justitia punien-*  
*tis, ut Rom. I. 32. 2. Thess. I. 6. quæ causa dati*  
*Filiī ad mortem, in placamentum, in remissio-*  
*nem peccator. & ut posset condonare, non diffi-*  
*cultibus hoc aliàs Remonstr. 9. Consequens*  
*esse exclusionem omnem καυχήσεως scil.*  
*carnalis, Rom. III. 27. quæ non in Deo sit,*  
*sed in nobis, non de acceptis, sed præstitis, non*  
*fiduciæ sed præsumptionis, non humilians,*  
*sed inflans. 10. Effectum, non profectò abo-*  
*litionem Legis, sanctificationis, sed stabili-*  
*mentum, idque non uno modo, Rom. III. 31.*  
*& secuturis Capitibus V. VI. VII. VIII. XI.*  
*XIII. &c. En brevem analysin Doctrinæ*  
*Paulinæ de Justificat. in Epist. ad Romanos,*  
*surrecturæ postea ad adorandum Dei De-*  
*cretum, Cap. VIII. IX. &c.*

Scopus Remonstrantium excludere è  
*numero Fundamentalium, quæcunque Syn-*  
*cretismum universalem impediunt, aut cum*  
*Socianis controvèrtuntur.*

*De Sanctificatione, & obedientia.*  
*Redit Controv. de possibili impletione pre-*  
*cepto.*

ceptorum divinæ Legis, & perfectione obedientiæ, absque omni lucta. De quâ Hypothesi, ejusque πρώτοις Φεύδεσι, ut contrâ Pontif. monitum Controv. xx. & contrâ Anabapt. Contr. etiam xx. sic imprimitis contrâ Socinian. Controv. xxxi, de iis quæ non censent habere rationem Peccati; & Controv. lx. de perfectione Sanctificat.

## *De Fœderis Gratiae Oeconomia externâ: Ubi de Magistratu Christiano; deque sacro Ministerio.*

**XXXIV.** I. An supremis Principibus ac Magistratis, qui habent jus Majestatis, competitat Potestas circâ sacra, quæ sit formalis, vel eminentis, puta prædicandi Verbum, administrandi Sacraenta, de fide Theologice judicandi, ex Verbo Dei definiendi, &c. Vel etiam, an competitat iisdem potestas *absoluta*, à Divinâ lege, aut *destructiva*, rescindendi scil. quæ à Christo expressè constituta sunt; cujus tantum censendi sunt *Ministri Vicarii*, Rom. XIII. 4. *æternâ manente Apostolorum regulâ*, Act. iv. 19. Vel an tribuenda iis potestas *interna*, coactiva etiam in animas, in conscientias, ut *credere cogantur*

*De potestate Majestatis circâ sacra.*

gantur inviti; Vel denique potestas quæ dicitur *Architectonica*, quâ S. Ministerii auctoritas, essentia, partes, ab ipsis originaliter pendeant, exercendæ eorum nomine, uti dependent ab iis functiones reliquæ Civiles, puta *Officialium, Legatorum?*

An hoc tantum extrâ Controversiæ sit positum, competere illis *curam* omnis boni subditorum, ac præcipuè spiritualis, *Rom. XIII.*  
*4. I. Tim. II. 2. Ut & custodiam Divinæ Legis Deut. XVII. 18. 19. 20. Jos. I. 7. 8. hinc Divini Cultus, & omnium quæ illi subserviunt, potestate regiæ, & coercitiva; Ut & officium *Nurritiorum ac Patrum Ecclesiæ,* procurando pabulum ut corporis, sic præcipuè animi, *Ef. XLIV. XLIX. LX. Ps. LXXII.**  
*I. Sam. XII. 14. &c. Adeoque competere illis potestatem *objectivè Ecclesiasticam*, circâ sacras res & personas; seu externe *procurativam* S. Ministerii, in Ditionibus suis, eandemque *directive, coercitivam, ordinativam, perfectivam*, semper juxtâ intentionem ac præceptum Verbi Evangelici?  
*Affirmant* quandoque *priora Remonstr. Posterior. Orth.**

*Scopus* Remonstrant. quo tempore sacerdotes ferverent Controv. antè Synodum Dor- drac. fuit: 1. Negantes priora Orthodoxos *invisos* reddere Magistratui. 2. Avocare causam Remonstrantium, seu *judicium de Contro-*

*Controversis Capitibus, à foro Theologorum, à Synodis, ad forum Civile, & ad faventem Causæ suæ Magistratum, (ut tunc erant tempora) qui decideret antecedenter, judicio politico, & auctorativo. Atque ita divina & interna, quæ ad salutem eternam faciunt, subjecta non jam curæ, directioni, sed arbitratui humano; & Dominium subordinatum Deo, & Christo, conversum in absolutum; confusæque Potestates interna & externa, quæ in Corpora, in Societatem, in modum illius, & quæ in animos, corda. Aliud etiam judicium cognitionis, directionis, confirmationis, promulgationis, quod non negatur Magistratui, ut sibi vindicarunt Constantini, Theodosii, &c. aliud judicium definitionis, decisionis ex Verbo Dei, & constitutivum Articulorum fidei? Ac πρωτὸν Φεῦδρος est, sibi postremum tribuisse, aut pios Reges in Ecclesiâ Sr. indè à Davide, Salomone; aut pios Imperatores, Regesve in Eccl. Christianâ; contra Ecclesiæ Historiam.*

Nec est quod adversus posterius, quod diximus esse ἐξαγόριον, moveat quis difficultatem de Magistratu Insideli, à quo sic pendebit directio Sacrorum. Non in isto quidem defectus potestatis, sed tamen habilitatis ad exercitium istius, & requisitorum in Magistratu, ut procuret sacra, ut custodiat

stodiat Legem Dei, ut promoveat bonum spirituale. Unde indignatio Paulina, de provocantibus ad Tribunalia Infidelium,  
*1. Cor. vi. 1. 6.* Sed de his atibi.

II. An ad exercitium S. Ministerii, & au- XXXV.  
ctoritatem illius, non requiratur necessa- *De neces-*  
riò *specialis Misso*, sive Vocatio externa & *state Mis-*  
Ordinatio, nisi fortè decori causā, & jure *sionis ad*  
*humano?* Ut adeò quisque privatus, modò *nem S. Mi-*  
à Christo missus & instructus, posfit publi- *nisterii,*  
cè obire illas partes quæ *Ministrorum* sunt;  
nec nisi de missione *Christi*, vel de *Apostoli-*  
*ca* missione, intelligenda sint verba Pauli,  
*Rom. x. 15. &c.?* *Affirm.* Remonstr. Negant  
Orthod.

*Scopus*, minuere auctoritatem Mi-  
nistrorum, ac Synodorum, in quibus illis  
solis suffragium definitivum. *Præter* *Je-*  
*du* eadem, quæ notavimus ad *Controv. So-*  
*cin. LXIII.* Ubi & præfida habes sententiae  
Orthodoxæ.

III. An *Formule Consensus*, ad quas obli- XXXVI.  
gantur linguae & calami publicorum in Ec- *De For-*  
clesiâ & Schola Doctorum, (qualia sunt *mularum*  
Symbola, Confessiones, Catecheses, Ca- *publica-*  
nones Synodales) sint reverè compedes & *rum Sin-*  
vincula *conscientius* injecta, tyrannis quæ- *culo;* *de-*  
dam Papalis, & alligatio fidei & salutis ad *que Schis-*  
*Verbum hominum?* Nec *Schismatis* reus ille *mate.*  
dici possit, qui postquam Formulis subscri-  
psit,

psit, palam ab iis postea dissentit, ut à scriptis humanis; in quibus multa palam arguit, docendo & scribendo, tanquam vel perperam omissa, ac male non visa, vel secus explicata atque oportuit? Modò ad unicum Dei Verbum, ut Normam infallibilem, à tali Viro provocetur, nec sit prima intentio turbandi, quicquid turbæ ex tali dissensu per accidens oriatur? Affirmant Remonstr. Contrà Orthod.

ΠΡΩΤΟΝ Ψεύδοντες, interesse proprium Remonstrant. Qui jam a principio retractari voluerunt Confessionem Belgicam, & Catechesim Palat. ac dein Synodum Dordracenam reprobârunt, cuius Canones abivere in Formulam Unionis Batavæ.

Calumniosæ etiam hypotheses, quasi ex mente Reformatorum, obligent Formulæ publicæ ναθ' αὐτῷ, & in conscientia foro interno; ut normæ fidei salvificæ, ut principium veritatis, ac fundamentum salutis consequendæ. Quæ sanè omnes obligant etiam in foro interno, sed non aliter quam ex hypothesi, ob doctrinæ suæ ὁμοψυχίᾳ cum Scripturis s. ob Φανέρωσιν in iis veritatis, πρὸς τὰς αὐτείδης, 2. Cor. iv. 2. nec ut sunt Verbum hominum, sed ut sunt Verbum Dei 1. Theſſ. ii. 13. Ast verò membra omnia ejusdem Societatis, & συνεργοὶ in eodem Ministerio, eademque Ecclesia, puta

puta Anglicanâ , Batavâ , Helveticâ &c.  
obligant Formulae Doctrinæ *absolutè*, in fo-  
ro *externo*, seu Civili, seu Ecclesiastico ;  
Nempè, ut normæ *consensûs*, ut fundamen-  
tum *unionis*, ut remedia *schismatum*, ut quæ  
censemur judicio publico *deductæ ex priori-*  
*Pio unico Scripturæ*; Non excluso tamen  
cujusque *examine*, & *avauipos privatâ*, &  
*euayupos ad lapidem Lydium Verbi divini*,  
*Act. xvii. ii.* ad majorem securitatem fidei.  
Sic doctrina quæ contrariatur *Formulis*,  
postquam in eas juratum conceptis verbis,  
arguit errorem si non ex se *theoreticum*, ast  
*practicum* tamen, contrà legem juramenti,  
obedientiæ , charitatis , pacis servandæ.  
Sic dùm ipso facto laciniantur Formulae, aut  
mente spernuntur, quæ tamen *verbis laudan-*  
*tur*, peccatur contrà legem bonæ fidei , &  
veritatis. Vide suprà Controv. *Anti- Re-*  
*monstr. v. de Libertate Prophetandi.*

## De Sigillis Fœderis Gratiae.

De naturâ & usu Sacramentorum, in ge-  
nere, deque usu *Eucharistie S. in specie*, vel  
Baptismi, redeunt Controv. *Anti-Socin.* LXIV.  
LXV. LXVII. & LXVIII. Ac Πρωτα. Ψεύδη ibi  
pluribus notata.

I. An Sacra menta, in casu *necessitatis*, cùm  
vel Cœtus vel Pastor haberi nequit, possint

G etiam

XXXVII.  
De admin-  
nistro Sa-  
cramen-  
torum.

etiam à quovis fideli administrari, imò & à  
femini; Adeoque & Infans ab iis aquâ tingi,  
& panis Eucharisticus benedici, consecrari.  
*Offerri* dixère Veteres; Ut parùm etiam re-  
ferat quâ *Formulâ* quis in earum Ceremo-  
niarui administratione, in specie illâ S.  
Baptismi, utatur? *Affirm.* Remonstr. *Negant*  
*Orthod.*

ΠΡΩΤΟΝ ΨΕÙΔΩ, Sacra menta esse  
ritus *indifferentes*, certè *significati vos* tan-  
tum, non etiam *exhibitivo s*, vel *ob signati vo s*:  
Atque adeò parum interesse, à *qnibus* admi-  
nistrantur. Vide *Contr. Anti-Socin.* præci-  
puè LXIV. & sequentem Remonstr. XXXVIII.

Cæterum H. Grotius, speciali Diff. pro-  
vocavit ad praxim Christianam ævo Ter-  
tulliani, ex loco de Exhort. Castit. C. vii.  
*Ubi Ecclesiastici Ordinis non est Confessus, & offers,*  
*& tingis, & Sacerdos es tibi solus.* Item, *habes*  
*jus Sacerdotis in te ipso, ubi necesse est.* Item,  
*Omnes nos Deus ita voluit dispositos, ut ubique*  
*Sacramentis ejus obeundis apti simus.* Alibi, *Et*  
*iam Laicis jus est* (nempè ut idem explicat)  
*ubi aut loci, aut temporis, aut persone conditio*  
*compellit*, de Bapt. C. xvii. Quæ Rigaltius  
quoq; intellexit de potestate penes quem-  
que, ubi non esset Presbyterium, exercen-  
di *Sacerdotium*, seu *Ministerium* S. adeò-  
que *baptizandi*, & *offerendi* seu *consecrandi*  
*panem Eucharisticum.* Et sic pasim Eru-  
diti,

diti, ac multis Salmasius, sub nomiue Walonis Messalini, contrà Petavium, p. 384. &c. Alii Tertullianum de *jure* quidem Laicorum loqui, non *de facto* ullo, vel consuetudine usquam receptâ, & sic Clar. Dodwellus: Aut si *de facto*, non cujusque Laici, sed qui *Prophetico* Charismate instructus esset. Alii, hoc voluisse Tertullianum de mystico *oblationis, tinctioisque* genere. Alii, Laiicos, ubi non essent Sacerdotes, ut *baptizare, sic & offerre*, potuisse, sed hoc alio sensu quam consecrare, & sic Petavius, de Poteſt. Conſecrandi, C. i i. Alii aliter, ad verba Tertulliani.

Quæcumque jam mens fuerit Tertulliani, aut praxis illius temporis, certum est, 1. De tali *necessitate* sermonem esse Tertulliano, in quâ nullo modo vel *convocari Confessus* Ecclesiasticus potuit, vel idem adiri, ut fuere Persecutionum tempora; nullo alijs in Baptismi morâ periculo, ex ejusdem mente. 2. Contrà theſsim Remonstrantium, duo ex Tertulliano indubia sunt; Primum est, *Mulieribus* nunquam licuisse tingere, aut panem consecrare; *quibus ne discere quidem constanter permisum*, id est, parum verecundè interrogare, & in publico, de *Bapr.* C. xvii, sub finem. Minus permisum iis fuisse docere, aut *jus tingendi* habuisse, aut *Exorcismos agendi*, &c. ut ibidem Septimus,

mius, & L. de Præscript. C. xli. Explosâ etiam Theclæ baptizantis fabulâ. Alterum ex Tertulliano planum, contrâ Novantium hypothesisim, hoc est, Formulam à Christo præscriptam fuisse necessariò observandam: Ut Lex tingendi imposita est, sic & Formula præscripta, in nomen Patris, Filii, & Spiritus S. eodem Libro de Bapt. C. xiv. Quod & omnis censuit Antiquitas; ac frustrâ usurpatam negant eam Formulam ab Apostolis, ex loco 1. Cor. 1. 14. 15. Ubi modò præcavit Paulus, ne, si qui à se baptizarentur, Paulianos se dicarent, suo de nomine, & efferrant nimis autoritatem baptizantis.

**XXXVIII.** II. An Pædo-Baptismus, seu ritus baptizandi Infantes, nec à Christi præcepto, quod baptismi solos adultos, & antecedenter instructos reor<sup>g</sup>lige & usu. spexerit, Matth. xxviii. 19. nec etiam à praxi Apostolicâ profluxerit, qualis nulla legatur; sed demum à tertio post Christum natum seculo, idque ex male intellecto loco Job. iii. 5. Ut adeò Baptismus nullo modo arguat Corruptionem Originalem, quæ eo lavacro abluatur; minus sit Instrumentum regenerationis, aut sigillum remissionis peccati Originalis in Infantibus? Statuunt ita Rem. Contrà Orthod.

**ΠΡΩΤΑ** Ψεύτη eadem quæ Anabaptistarum, ad Contr. xxxiii. de Pædo-Baptismo; Etiam Socinian. ad Contr. LXV, LXVI, de



de Baptismi *necessitate*, tūm etiam sine & *ef-  
ficaciā*. Quanquam nec in hoc argumen-  
to concordes quidem fuerint inter se Sociniani.  
Falsò igitur à Remonstr. supposita,  
1. Mandatum *Math.* xxviii. 19. exclusisse  
*Infantes* (quod ne ipse censit Pelagius)  
comprehensos sub mandato universalis, scilicet  
recipiendi *in disciplinam*, in scholam Chri-  
sti, per baptismum, πάντα ἐθν. 2. Nusquam  
Apostolos legi baptizasse etiam *Infantes*; qui  
*familias* integras, οὐαὶ σε, *Act. XVI. 1. Cor. I.* &  
frequentes sanè, quas omnes caruisse In-  
fantibus sine absurditate dici nequit. 3.  
Nonnisi à m. Seculo legi Pædo baptismum;  
quod rursùs falsi arguit, Arminianis licet  
favens Ger. J. Vossius, Vir maximus, ut te-  
stimentiis Augustini, qui *Apostolicam traditio-*  
*nem* dixit, sic Irenæi, Originis, Cypriani, &c.  
*Disp. XIV. de Bapt. Salmasii* hac parte errorem  
notavimus suprà *Contr. Anabapt.* xxxiii. p.  
17. De loco *Job. III.* ad *Contr. Luth.* XII.

Scopus Remonstr. inficiari *Peccatum*  
*originis* simpliciter, aut saltem, non recte di-  
ci *peccatum*; De quâ Controv. jām pluribus  
*Anti-Socin.* xxx. *Anti-Remonstr.* xxiv. Alter  
Scop. inficiari cum Pelagio. 1. *Infantes egere*  
*Regeneratione*, seu (ut loquitur Augustinus,  
de *Pecc. Orig. C. xvii.*) *repurgatione origina-*  
*lis peccati* seu maculae; 2. *Infantes damnata-*  
*tioni primi Hominis obnoxios esse*, ut negat ibi-  
dem Pelagius.

*De Novissimis.*

**XXXIX.** An Quæstio, de statu *Anime* à corpore se-  
*De Statu* parata, deq; ejus vitâ, ac sensu vel perceptione  
*Anime* beatitudinis aut miseriæ; aut contrâ, pro-  
*à Corpore* fundâ dormitione, ut nihil agat, sentiat, per-  
*separata.* cipiat; hæcçine Quæstio sit supervacula, de  
quâ nihil S. Literis expressè definitum? Ut  
adeò de his temerè contrâ Socinianos aut  
Anabaptistas disputetur? *Affirm.* Remonstr.  
*Negant* Orhod.

ΠΡΩΤΑ Ψεύδη jam suprà, *Contr.* cum  
*Anab.* xxxiii. &c cum *Socin.* LXIX. ubi eadem  
Quæstio, de statu *Animarum post mortem.*  
Quid eā de re *Scriptura* tradat, ibi pluribus.  
Quasi vero somnus animæ non sit species  
mortis; idemque cum naturâ *Mentis*, & cum  
*Dei visione*, fruitione in his, aut sensu cru-  
ciatum in illis *Luc.* XVI. posuit consistere.

SCOPUS istorum Remonstrantium, ta-  
citum cum Socinianis consensum non nihil  
involvere, ut alias solent.

DE Resurrectione ejusdem numero *Corpo-*  
*ris*, & *Carnis* ejusdem quoad substantiam;  
redit *Controv.* *Anti-Anabapt.* XXXV. p. 131. 132. &c

*Anti-Sociniana* LXXI. p. 233. 234. &c. Quas  
vide locis suis, & ad singulas Πρω-  
τα Ψεύδη potissima.














AB: 67 9  
b.2

(1/4)

ULB Halle

3

003 048 047



08.20018cl.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



B. FRIDERICI SPANHEMII F.

Theolog. nuper Doctoris & Professoris

Leidenfis longè celeberrimi

Præcipua Controversia

Cum

ARMINIANIS

ac

Remonstrantibus Hodieñnis,

Lectionibus ac Disputationibus

publicis repetitæ

P R A E S I D E

SAMUELE STRIMESIO,

S. S. Th. Doct. & Profess. in Eccles.

& Universitate Viadrina,

Cujus etiam Annotationes ac  
Stricturæ in dictas Controversias ad cal-  
cem accessere, vastum cumprimis, quod AR-  
MINIANAM inter & REFORMATAM, *de Gratia Dei U-*  
*niversali*, DOCTRINAM intercedit Discrimen,  
dilucidè exponentes.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
APUD JOHANNEM VÖLCKER.

1703.